

1. Abichtij s. Joh. Georgij s. Diss. de Claudio Felice, ad Act. xx. v. 29. 25. Wittenb.
2. — Diss. de Summa <sup>1732</sup> Ecclesie vera dignitate, Wittenb. 1739.
3. — Diss. sistens vindicias sapientie divine circa lapsum Adami, Wittenb. 1739.
4. — Diss. de Lege Sabathi, Wittenb. 1721.
5. — Diss. de fide Apostolorum tempore Christi in his terris degentis, Wittenb.
6. — Diss. de animabus <sup>1735</sup> Humanis post mortem Corporis vicis, Wittenb.
7. — Diss. de Immanuele ex Virgine nascituro, Lipsie 1717.
8. — Epini s. Franc. Albf. Diss. apologica pro genuina Lutheri versione Germanica d. i. t. Paulini Romae in 17. Rosbochi 1732.

a. 19

27

THESES THEOLOGICÆ,  
 AD DUCTUM  
 ARTICULORUM XXI. DOCTRINALIUM  
**AUGUSTANÆ**  
**CONFESSIONIS.**

SUB PRÆSIDIO  
**JAC. HENR. BALTHASARIS,**  
 S. THEOL. D. ET PROF. ORD. CONSIST. REGII  
 ASSESS. ET AD D. JAC. PASTORIS.

ANNO MDCCXXV.  
 Singulis Mercurii, vel Sabbathi diebus,  
 IN ACADEMIA GRYPHICA

à  
 Quibusdam S. Theologiæ Studiosis,  
 quorum nomina sequens pagina exhibet,  
 Septimestri privatoque exercitio disputatorio  
 ventilatæ.



GRYPHISWALDIÆ,  
 Typis Caroli Höpfneri, Reg. Acad. Typogr.  
 ANNO MDCCXXV.



IN  
HOC EXERCITIO DISPUTATORIO  
industrios se exhibuere.

M. GOTTFR. SAM. SIGISMUNDI, *Forsta-  
Saxo-Lusatius.*

D. L. SALTHENIUS, *Helsingia Suecus.*

HENR. FRID. DUNCKER, *Seralfund. Pomer.*

OLAUS WAHLBERGH, *Zachrisson. Carolicor.  
Suecus.*

GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pomer.*

PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino-Pomer.*

JOHANN. JAC. TETZLOF, *Gryphisw. Pomer.*

JUL. JUST. GEBHARDI, *Brunsvicensis.*

NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera-Holsatus.*

BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano-Pomer.*

JUL. HEINR. CHEMNITIUS, *Hamburgenss.*

CHRIST. FRID. LANGE, *Starg. Megapol.*

Quibus omnibus

à DEO Patre Dominoque nostro JESU CHRISTO

Gratiam ac salutem precatur

JAC. HENR. BALTHASAR.




**H**actenus, *amici suavissimi*, in palæstra acadē-  
mica disputando ingenii vires exercuistis,  
ac, uti quidem spero, non sine omni fructu.  
Jam, finita hac amica concertatione, posi-  
tisque armis, ex arena dimittendi estis. Nec  
tamen, ut sine omni commonefactione vos  
abire patiar, meus erga vos affectus permittit. Primo om-  
nium supremo numini sincera piaque mente pro con-  
cessis viribus præstitoque auxilio agite gratias, idemque  
calidissimis fatigate suspiriis, ut operam, hoc in exercitio à  
me vobisque ipsis navatam, in omnium vestrum usum ac  
commodum cedere jubeat. Cognitum enim vobis omni-  
bus est perspectumque, neque, qui plantat, esse aliquid, ne-  
que qui rigat, sed unice, qui dat incrementum, Deum im-  
mortalem. Tum vero in memoriam revocate, non esse  
unius generis, quæ disputationibus nostris sub examen  
sunt vocata. Subinde nonnulla in controversiam venire,  
de quibus ipsi inter se digladiantur ecclesiæ nostræ docto-  
res. Hic vestri erit officii, seposita hominum autoritate, le-  
ctisque utriusque partis scriptis, omnia ad Sacræ Scriptu-  
ræ normam examinare, eique tunc parti intrepido animo  
accedere, à qua ipsum Sp. S. nostramque Confessionem  
flare intelligetis. Nec, credite mihi, hoc vobis erit difficile,  
si modo, abjectis opinionibus præconceptis, simplici corde  
supremi doctoris ductum sequi ejusque voci obtempe-  
rare vobis, uti omnino decet, constitutum est. Nostis,  
quam turpe sit homini Christiano, animum servare præ-  
judiciis constrictum. Nostis, quanti res sit periculi, hu-  
mana duci autoritate. Illa ergo exuite, huic nuncium  
mittite: Et salvæ erunt res vestræ. Cæterum, & hoc maxi-  
mopere vobis inculcandum puto, ut, quis sit finis hujus-

modi exercitii, pia mente consideretis. Non, sane, in eruditionis incremento hic subsistendum esse, ipsimet intelligitis. Quid enim juvat multa scire, ubi ipsa eruditione, deficiente vera animi emendatione, duplo majores pœnas nobis attrahimus? Nec ideo disputationes instituendæ sunt, ut saltem eloquentiæ, vel acutissimi ingenii, vel omnino victoriæ laudem reportemus. Vana est omnis gloria, quam in hujusmodi rebus quærunt miseri mortales, neglecto eo, quod in Christianismo est præcipuum. Hoc itaque, *charissimi*, omni agite studio, ut, evicta hujusmodi disputationibus veritate, sincera fide eandem amplectamini, eique vos omnes exhibeatis obsequentissimos. Hic fuit exercitii nostri scopus, hic finis, veritatis confirmatio. Jam vero, ne illam otiosam in vobis esse sinatis, nec veritatem in injustitia detineatis, rogo atque oro, quam possum vehementissime. Pretiosissima res est veritas, inprimis illa, quæ ad veram nostrum omnium emendationem divinitus revelata est. O! felices vos, terque quaterque beatos, si, repudiatis hujus mundi illecebris, vera pœnitentia eandem in usus vestros convertere omnibus viribus contendetis. Sic laudabilem, nec unquam defiturum, operæ vestræ percipietis fructum. Verax enim est, qui dicit: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberis reddet vos.* Liberos à maledictione legis, liberos à dominio peccati, liberos denique à morsu conscientiae ipsoque mortis terrore ultimo. Valet. Gryphisw. d. I. Augusti, 1725.

PRÆSES.





THESES  
EX  
AUGUSTANA CONFESIONE.

---

EX  
ARTICULO I.  
DE DEO.

RESP. D. L. SALTHENIUS, *Helsingia-Suecus.*  
OPPON. GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryph. Pom.*  
ET  
OLAUS WAHLBERG, *Zachrisson. Carolicor. Suecus.*

I.

**I**n Concilio Niceno mysterium Trinitatis fortissime quidem est assertum, scriptoque peculiari Symbolo expositum; nec tamen, antea illud ecclesie fuisse ignotum, credendum est.

II. Qui in ipso ecclesie nostrae gremio de Decreto Synodi Nicenae, ejusdemque huc spectanti-

A

etanti-

stantibus actis, abjecte scribunt, aut sentiunt, merito sunt improbandi.

III. Nec hi ipsi sunt socii Augustanæ Confessionis, veræque ecclesiæ catholicæ membra.

IV. Lutherus non fuit hostis Trinitatis, ut calumniantur Pontificii, quia amplexus est decretum Synodi Nicenæ de unitate essentia divinae & tribus personis.

V. Datur Deus.

VI. Unica est essentia divina, non specie solum, sed numero. Nec ergo per tres personas, realiter distinctas, multiplicatur essentia divina.

VII. Essentia voce in hoc mysterio nos uti docet Petrus, 2. Ep. I. 4. & Paulus, Col. II. 9. Rom. I. 20.

VIII. Deus est essentia æterna, incorporea, impartibilis, immensa gaudens potentia, sapientia & bonitate.

IX. Quicquid existit, (excepto peccato) sive sit visibile, sive invisibile, originem habet à Deo.

X. Præter creaturas visibiles dantur etiam invisibiles, s. spiritus, omni materia destituti.

XI. Deus omnia à se creata conservat, & quidem reali ac positivo influxu, cujus tamen modum ignoramus.

XII. Tres sunt distinctæ personæ divinae,  
eius-



ejusdem [numero] essentia & potentia, & coæterna, Pater, Filius & Spiritus S.

XIII. Personæ vocabulum non significat partem aut qualitatem in alio, sed, quod proprie subsistit, subsistentia suppositante, f. speciali. Vel: Persona est suppositum intelligens.

XIV. Probe tamen cavendum est, ne, vocabulo Personæ concretive accepto, tales in divinis concipiamus personas, f. supposita, quæ præter distinctam subsistentiam etiam habeant realiter numeroque distinctas essentias, quales sunt personæ humanæ. Sic enim prodiret Tritheismus.

XV. Neque vero putandum est, Personas illas divinas, voce hac abstractivè sumpta, meras esse subsistentias, f. subsistendi rationes, aut modos.

XVI. Ergo tales Personæ in divinis sunt intelligendæ, quæ quidem singulæ distincta numeroque diversa subsistentia gaudent, interim tamen unicam eandemque numero essentiam habent communem. Id quod ipsum centrum hujus mysterii constituit.

XVII. Quamquam vocab. Personæ non sine difficultate huic mysterio applicatur; re tamen

men ipsa ex Scriptura prius perspicue ac distincte exposita, ipsoque vocabulo omnibus ambiguitatibus liberato, ad dogma brevi themate & absque ambagibus proferendum, licite adhibetur.

XVIII. Non datur duplex Principium independens, bonum & malum.

XIX. λόγος in divinis, à Patre & Spiritu S. distinctus, non significat verbum vocale, sed secundam personam Trinitatis, s. Filium Dei, propter generationem ex essentia paterna & revelationem voluntatis divinæ ita dictum.

XX. Spiritus in divinis, à Patre & Filio distinctus, non significat motum in rebus creatum, sed tertiam personam Trinitatis, causam ipsam omnis motus, qui in creaturis datur, efficientem ac conservantem, ob processionem ex essentia Patris & Filii, spiratione factam, ita dictam.

XXI. Vera Dei Trinitas cognitio est vita aeterna, Joh. XVII. 3.

XXII. Qui ait, se cognoscere Deum, nec tamen servat ejus mandata, is mendax est, nec est in eo veritas. I. Joh. II. 4.

Ex

EX  
ARTICULO II. AUG. CONFESS.  
DE PECCATO ORIGINIS.

RESP. PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino-Pom.*  
OPPON. JOHANN. JAC. TETZLOFF, *Grypb. Pom.*

ET  
JUL. JUSTUS GEBHARDI, *Brunsvicensis.*

I.

**P**rotoplasti, ad imaginem Dei conditi, non perstitierunt in justitia hac originali, per creationem ipsis concessa: Sed, persuasionibus diaboli seducti, legem divinam transgressi sunt. Quæ transgressio dicitur lapsus Adæ.

II. Hic lapsus Adami est causa peccati originis.

III. Imo, omnis mali, quod in hominibus datur, origo ad hanc protoplastorum transgressionem referenda est.

IV. Omnes homines, secundum naturam, i. e. per congressum maris & fœminæ, propagati, nascuntur cum peccato.

V. Si *homines* secundum naturam propagantur, ergo non solum dimidia pars hominis, corpus, sed integer homo, qua corpus & animam

ſpectatus, eſt ex Parentibus, licet modum propagationis animæ ignoremus.

VI. Chriſti humana natura, ſecundum naturam non propagata, immunis eſt ab omni peccato inhærente. Non vero Maria, nec Jeremias, nec Johannes Baptiſta.

VII. Quia homines naſci dicuntur cum peccato, ergo datur peccatum inhærens connatum, ſ. connata & ingenita naturæ humanæ corruptio, quæ peccatum originis dicitur.

VIII. Illud peccatum connatum non tantum eſt defectus timoris Dei fiduciaque in Deum, ſed etiam concupiſcentia ejus, quod legi divinæ contrarium eſt.

IX. Vel: Peccatum originis non ſolum conſiſtit in defectu concreatæ ſapientiæ, ſanctitatis & juſtitia; ſed ſimul etiam complectitur propenſionem ad errores, ſ. perverſa de Deo rebusque divinis judicia, & ad quasvis actiones malas, legi divinæ contrarias. Unde fluit impotentia legem Dei perfecte implendi.

X. Concupiſcentia hæc originalis probe diſtingvenda eſt ab actuali. Illa propenſionem ad concupiſcendum, hæc ipſum pravum concupiſcendi actum ſignificat. Qui iterum vel involuntaria

luntarius, seu rectius, inevitabilis, vel voluntarius dicitur.

XI. Hoc vitium originis non solum est effectus & causa peccati, sed vere est ipsum peccatum, non solum in irrogenitis, sed etiam in baptizatis & renatis.

XII. Peccatum originis per se & suam naturam hominem non renatum damnat, eique æternam mortem adfert.

XIII. Ex his, quid de salute hominum, extra pomeria ecclesiæ Christianæ constitutorum, judicandum sit, facile liquet.

XIV. Sed hominem renatum peccatum originis non damnat actu, cujus remissionem jam impetravit per fidem.

XV. Regenitus dicitur is, qui fide in Christum donatus est.

XVI. Regeneratio fit per baptismum & Spiritum S. Per hunc, tanquam causam efficientem principalem, tam in adultis, quam infantibus. Per illum, tanquam causam instrumentalem, in infantibus tantum.

XVII. Quamvis soli adulti mediante verbo lecto auditoque à Spiritu S. regenerantur, nec hac ratione verbum infantibus prodesse potest: non tamen illud simpliciter ab infantum regeneratione

ratione excludendum est. Aquæ enim baptis-  
mi verbum est annexum, tam præcepti, quam  
promissionis, unde etiam baptismus suam habet  
efficaciam.

XVIII. Infantes christianorum, absque ba-  
ptismo decedentes, non sunt irrogenitis accen-  
sendi. Quamvis enim non regenerentur à Spi-  
ritu S. medio ordinario baptismi, regenerantur  
tamen modo extraordinario.

XIX. Ergo P. O. infantes Christianorum,  
absque baptismo decedentes, non damnat, nec  
mortem iis adfert æternam.

XX. Idem sentiendum est de illis adultis,  
per verbum regeneratis, qui absque sua culpa  
baptismo privantur, qualis erat latro in cruce.

XXI. Gravissime errant & extenuant glo-  
riam meriti & beneficiorum Christi, qui docent,  
hominem propriis viribus rationis (i. e. propriis  
viribus naturalibus) coram Deo justificari posse.  
Hoc si enim fieri potuit, quid opus fuit morte ac  
merito Christi?

XXII. Ergo post lapsum homo irrogenitus  
quicumque nullum habet in spiritualibus, ad sui  
conversionem & vivificationem, liberum arbi-  
trium.

EX  
ARTICULO III. AUG. CONFESS.  
DE FILIO DEI.

RESP. NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera-Holfatus.*  
OPPON. BERNH. JOACH. MEINKE, *Lassano-Pomeranus.*  
ET  
JUL. HEINR. CHEMNITIUS, *Hamburgensis.*

I.  
Λόγον in divinis, à Patre & Spiritu S. distinctum, indicare filium Dei, docet ordo personarum divinarum, quo medius inter Patrem & Spiritum S. sistitur, i. Joh. V. 7. Qui locus alias Filio Dei tribuitur, Matth. XXVIII. 19.

II. Hanc λόγος appellationem, Johanni maxime usitatam, ex Pythagoricis ac Platonicis lacunis fuisse hausitam, sine ratione asseritur, cum & in Vet. Test. ejus vestigia jam appareant, & utriusque partis, Johannis ac Philosophorum illorum gentilium, ideæ de hac voce sint diversissimæ, totoque cælo differant. GRAPPIUS *Theol. recens. controvers. P. I. p. 143.*

III. Filius Dei assumpsit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis.

IV. Ergo Verbum caro factum est, non mutando, quod erat, sed assumendo, quod non erat. Ebr. II. 14. 16.

V. Humanam naturam assumpsit, non simul ὑπόστα-

specialem, ne duplex esset persona, utraque ad redemptionis opus inhabilis.

VI. Humana itaque Christi natura, propria subsistentia speciali destituta, subsistit *ὑποστάσει τῆς λόγου*, ipsi vere ac realiter communicata. Quod enim nulla plane *ὑποστάσει* subsistat, dictu absolum est, inprimis, quod sic humana Christi natura deterioris esset conditionis cujusque vilissimi hominis natura.

VII. Cum *ὑπόστασις* Filii Dei ab eius natura ac idiomatibus divinis separari nequeant; sequitur, communicata *ὑποστάσει*, factam quoque esse realem communicationem naturæ ac idiomatum divinatorum. Id quod scriptura non concretivis solum, sed etiam abstractivis phrasibus confirmat. Joh. VI. 51. 1. Joh. I. 7.

VIII. Qui negat realem communicationem idiomatum, illi recte tribuitur negatio communicationis naturæ ac *ὑποστάσεως*, ipsiusque proinde unionis personalis solutio. Atqui Calviniani &c. Ergo.

IX. Duæ in Christo sunt naturæ, divina ac humana. Rom. IX. 5. Joh. I. 1. - 15.

X. Non vero duas, sed unicam hæ ipsæ constituunt personam. Hinc unicus dicitur esse mediator. 1. Tim. II. 5.

XI. Duæ illæ naturæ in unitate personæ *inseparabiliter* sunt conjunctæ. Quam ergo substantiam Filius Dei semel assumpsit, eandem nunquam deposuit.



fuit, nec unquam deponet. PFAFFIUS *Disf. de Impersonalitate & perpetuitate H. N. C.*

XII. In triduo mortis ruptum quidem fuit vinculum naturale animæ & corporis, ipsa vero unio personalis non soluta.

XIII. Verum hominem fuisse Christum, docet ejus nativitas ex Maria, quæ assumptionem naturæ ex substantia Mariæ, ideoque Christi atque Mariæ ὁμοσίαν, indicat. Conf. Gal. IV. 4.

XIV. Quando Christus, qua humanam naturam, Matri nobisque dicitur ὁμοσίος, aliter voc. hoc accipitur, quam, ubi ratione divinæ naturæ Patri & Sp. S. ὁμοσίος perhibetur. Ibi enim indicat saltem identitatem essentiæ specificam, hic numericam.

XV. Matrem Christi, Mariam, ante partum & in partu veram illibatamque fuisse virginem, sacra oracula clarissime docent.

XVI. Quod vero etiam post partum virgo manserit, non quidem in scriptura asseritur, nec tamen etiam contrarium ex illa ostendi potest. Interim cum ecclesia, prius valde probabile esse, facile largimur.

XVII. In articulorum Schmalkaldicorum versione latina P. I. th. 4. Maria *semper virginis* encomio ornatur. At in textu authentico germanico saltem dicitur die reine heilige Jungfrau Maria. Quod non

necessario statum post partum indicat, cum & propter virginitatem ante & in partu ita dici potuerit.

XVIII. Non merus homo, sed ipse Filius Dei naturalis vere passus est. Act. XX. 28. Act. III. 15.

XIX. Si de natura quæris, secundum quam passus sit, humana intelligenda est. Interim tamen divina, quia cum humana eadem subsistebat *ἕνωσιν*, omnes istas passiones sibi appropriavit, humanam, ne succumberet, sustentavit, eidemque, ut & passionibus ipsis, infinitum communicavit valorem, ut in iudicio divino sufficientem infinitæ justitiæ præstare potuerint satisfactionem.

XX. Passiones Christi non corporales tantum, sed maxime spirituales fuere. Matth. XXVI. 37. 38. Quod imprimis derelictio ejus in cruce testatur. Quæ non desperationem, nec solutionem unionis personalis, nec, ut quibusdam videtur, Christi glorificationem, sed, quod humana natura sensu gratiosi influxus, quem cæteroquin ex divina natura habebat, eo tempore caruerit, vimque contra maledictionis iræque divinæ eminentissima quadam ratione perceperit, indicat.

XXI. Cruci damnatæ, infelici ligno, ut veteres loquuntur, se affigi passus est Servator, ut, se eorum, qui æternæ damnationis rei erant, infelicissimæ gentis humanæ, vice pœnas maledictionemque divinam sustinere, quam clarissime ostenderet. Ex

EX EODEM

ARTICULO III. AUG. CONFESS.  
**DE FILIO DEI.**

RESP. OLAUS WAHLBERG, *Zachriffon. Carolicor. Svecus.*  
OPPON. D. L. SALTHENIUS, *Helf. Svecus.*

ET

G. W. OVERKAMPF, *Grypb. Pozn.*

XXII. Christum vere mortuum, rupto non solum vinculo animæ & corporis naturali, sed ipso quoque Spiritu emisso, ac localiter à corpore separato, ex Scriptura manifestum est.

XXIII. Vere Deus ipse mortuus est, non merus homo. Non tamen secundum divinam, sed humanam naturam. Conf. th. 18. 19.

XXIV. Sepultura, mortem infecuta, hujus testis est certissima.

XXV. Effectus passionis & mortis Christi est reconciliatio hominum cum Deo, non Diabolorum.

XXVI. Factus enim est hostia pro peccatis nostris, ipsi vere imputatis. Non quidem, ut redimeret ipsum peccatum, ceu olim somniarunt Flaciani, apud MUSEUM *Præf. in Form. Conc. p. 58.* sed, ut satisfactione sua à culpa & pœna nos liberaret.

XXVII. Christus satisfecit pro culpa originis & actualibus hominum peccatis quibusvis.

XXVIII. Si pro omnibus peccatis satisfecit, ergo

etiam pro omnibus, nemine excepto, hominibus satisfactionem præstitit. Quod invictis rationibus demonstrari potest. Alias, si vel pro unico homine non satisfacisset, nec pro ejus peccatis, & consequenter non omnibus, satisfacisse dici potest.

XXXIX. Qui ergo ex Calvinianorum cohorte universalitatem mortis Christi negant, quod hodieque ex recentissimis faciunt quamplurimi, tam in Germania, quam extra eam, non sunt agnoscendi pro focis Aug. Confess.

XXX. Nec cum illis unionem ecclesiasticam facere licet, utpote qui fidei fundamentum everunt.

XXXI. Ad satisfactionem Christi, homines cum Deo reconciliantem, non solum pertinent passiones, s. obedientia passiva, sed etiam activa, s. perfectissima legum divinarum impletio, à Christo præstita.

XXXII. Quando Christus *pro* nobis dicitur hostia factus, vel mortuus, legemque implevisse, voc. *pro* non solum indicat, Christum nostræ utilitatis causa & in commodum nostrum hæc omnia sustinuisse, ut nobis suo præiret exemplo, & quodcumque, etiam acerbissimum, afflictionis genus perferre, eaque ratione, ut & sincera legum divinarum observatione, Deum colere, proximoque, ubi opus fuerit, inservire doceret: Sed significat, Christum nostro

stro loco, s. vice nostra, hæc omnia egisse passum-  
que esse, ad quæ agenda atque patienda nos eramus  
obligati, adeoque in nostrum successisse locum, ut  
sua obedientia nostram inobedientiam expiaret, su-  
isque passionibus nostras, omni jure promeritas, à  
nobis removeret.

XXXIII. Christus descendit ad inferos. Quod  
quo sensu intelligendum sit, in Form. Conc. art 9.  
explicatur.

XXXIV. Christus vere resurrexit tertia die.  
Falluntur ergo, qui, ipsos resurrectionis Christi testes  
*αυτοπτες* deceptos fuisse, sibi aliisque persuadere co-  
nantur.

XXXV. Idem corpus Christi, qua substantiam  
spectatum, quod per mortem ceciderat, reassumto  
iterum sanguine effuso, ne quid corruptionem vi-  
deret, resuscitatum est. Et quamvis ratione quali-  
tatum resurrexerit glorificatum, retinuit tamen pro  
libero suo arbitrio cicatrices vulnerum, passionis  
sue testes evidentissimas, olim in die extremo ma-  
nifestandas.

XXXVI. Deinde Christus ascendit ad cœlos,  
ut in Actis Apostolicis Cap. I. 9. refertur.

XXXVII. Cum vero & supra omnes cœlos ad-  
scendisse, ipsisque cœlis sublimior factus dicatur,  
Eph. IV. Ebr. VII. sequitur, Christum non solum *ω̄ς*  
aliquod

aliquod creatum ingressum, eoque circumscriptum esse, sed in ipsum cœlum majestatis divinæ fuisse e-  
vectum.

XXXVIII. Christus qua humanam naturam se-  
det ad dexteram Patris.

XXXIX. Dextra Patris non significat locum  
creatum circumscriptum, sed ipsam Dei majestatem  
infinitam, ejusque omnipræsens ac omnipotens do-  
minium super omnes creaturas.

XL. Sessio itaque ad dextram Patris do-  
cet, quod Christus qua humanam naturam evectus  
fit ad plenarium perpetuumque usum majestatis ac  
gloriæ divinæ, nec non ad plenarium perpetuumque  
exercitium omnipræsens ac omnipotentis dominii  
in omnes creaturas.

XLI. His suppositis, sequitur, Christum qua hu-  
manam naturam hodie in statu exaltationis non vir-  
tute solum, sed etiam substantia creaturis in his ter-  
ris esse præsentissimum.

XLII. Frustra ergo calumniantur Pontificii æque,  
ac Calviniani, Ecclesiam nostram, asserta in Form.  
Conc. omnipræsencia H. N. C. novam recepisse do-  
ctrinam, in Aug. Conf. non fundatam. Conf. SCHRÖ-  
DERUS in *Sceptro regali Christi*, Lib. 2. c. 12.

XLIII.

EX EODEM

ARTICULO III. AUG. CONFESS.  
DE FILIO DEI.

RESP. JO. JAC. TETZLOFF, *Gryphisw. Pomer.*  
OPPON. PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino - Pomer.*

ET

JULIUS JUSTUS GEBHARDI, *Brunsvicensis.*

XLIII. Christus *δεσινδεωτος* sanctificat credentes in ipsum, i. e. fructum obedientiæ ac satisfactionis suæ illis applicat per fidem. *Catech. maj. p. 497.*

XLIV. Nulla datur sanctificatio absque fide, nec, vice versa, datur fides absque sanctificatione. Mortua est fides, quæ non operatur sanctificationem.

XLV. Sanctificatio fit per Spiritum S. missum in corda credentium.

XLVI. Spiritus S. regit, consolatur ac vivificat credentes, iisdemque varia confert dona spiritualia, ut textus germ. habet.

XLVII. Idem Spiritus defendit credentes adversus diabolum & vim peccati.

XLVIII. Christus in die extremo palam est rediturus forma visibili, ut judicet vivos & mortuos.

XLIX. Symbolum Apostolicum, hac forma integra, qua hodie extat, non habet Apostolos autores. Recte tamen dicitur *Apostolorum*, si materiam primaque ejus initia spectes.

C

Ex

EX  
ARTICULO IV. AUG. CONFESS.  
DE JUSTIFICATIONE.

I.

**V**erbum *justificare* h. l. non habet significatio-  
nem physicam, ut *sanctifico*, (voce hac strictè ac-  
cepta) *calesfacio*, &c. qua, extincto habitu vitio-  
so, gratiæ ac justitiæ inhærentis infusionem, à Deo fa-  
ctam, denotet, per quam homo fiat justus inhæsi-  
ve.

II. Sed habet significationem forensem, & idem  
est, quod justum pronuntiare, absolvere à crimine  
& pœna.

III. Adeoque est actio Dei, quæ fit extra nos in  
judicio divino.

IV. Non est confundenda justificatio coram  
hominibus & in foro humano, cum justificatione co-  
ram Deo & in foro divino. Hac remissio peccato-  
rum primum confertur per fidem. Illa collata de-  
claratur ac cognoscitur per bona opera.

V. Homines non possunt coram Deo justificari  
propriis viribus, meritis, aut operibus.

VI. Nec ergo ulla ratione ad justificationis ne-  
gotium concurrunt bona opera, neque ut causa  
meritoria & impulsiva externa, neque ut causa for-  
malis, neque ut causa organica, nec denique ea ra-  
tione,



tionem, quod ex operibus fides efficaciam suam atque virtutem justificandi accipiat.

VII. Hoc sensu, hominem sola fide absque operibus justificari, recte asseritur.

VIII. Nec vitio verti potest Luthero, quod voculam *allein* versioni suæ germanicæ Rom. III. 28. inferuerit, utpote quæ dudum ante Lutherum jam sub Papatu in Bibliis germ. legebatur. SCHERZERUS *System. Theol. p. 437.*

IX. Justificatio peccatoris est mere gratuita.

X. Non eo sensu hoc intelligendum est, quod nulla Deo justificanti præstita sit satisfactio: Sed, quod nos ipsi justificationem non promereamur, & Deus ex gratia alienam satisfactionem tanquam nostram recipiat.

XI. Justificamur propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit.

XII. Justificamur per fidem.

XIII. Non vero justificat fides, nisi ut causa organica, meritum justificans apprehendens. Quamvis itaque ad causas justificationis utique pertinet, non alium tamen habet respectum, quam instrumenti ex parte hominis, quo is gratiam Dei meritumque Christi sibi in individuo applicat.

XIV. Objectum fidei justificantis est satisfactio Christi pro peccatis nostris, & gratuita remissio peccatorum propter Christum.

XV. Quod itaque ad formam ejus attinet, is veram justificantemque fidem habere dicitur, qui credit, se in gratiam recipi, & peccata sua remitti, propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit.

XVI. Ut tamen vera fides à carnali persuasione distingvatur, notanda sunt verba Apol. p. 68. *Fides in pœnitentia, h. e. in terroribus, consolatur & erigit corda, regenerat nos, & affert Spiritum S. ut deinde legem Dei facere possimus, videlicet, diligere Deum, vere timere Deum, vere statuere, quod Deus exaudiat, obedire Deo in omnibus afflictionibus, mortificat concupiscentiam. &c.*

XVII. Ex his ipsa etiam justificationis formâ innotescit, quæ consistit in remissione peccatorum & receptione in gratiam. Utriusque fundamentum est imputatio justitiæ Christi, credentibus facta. Quam tamen alii etiam ad formam referunt.

XVIII. Fidem Deus imputat pro justitia coram ipso, non in se & separatim, quatenus est actus noster, sed cum objecto suo spectatam.

Ex

Ex  
ARTICULO V. AUG. CONFESS.  
**DE MINISTERIO ECCLE-  
SIASTICO.**

RESP. BERNH. JOACH. MEINKE, *Lassano - Pomeranus.*  
OPPON. NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera - Holfatus.*

ET  
JUL. HEINR. CHEMNITIUS, *Hamburgensis.*

I.

**F**inis Ministerii ecclesiastici est, ut fides in homi-  
nibus accendatur.

II. Ergo ministri ecclesiæ sunt causæ ministeria-  
les regenerationis, quorum opera Deus hoc in nego-  
tio utitur.

III. Officium ministri ecclesiæ est docere evan-  
gelium & porrigere sacramenta.

IV. Concio legis h. l. ideo saltem excluditur,  
quia de productione fidei fermo est, ad quam lex  
non concurrat.

V. Cæterum, quia lex operatur contritionem,  
qua corda disponuntur ac præparantur, ut fides in  
illis excitari possit, ergo & legis concio ad officium  
ministri ecclesiæ pertinet, æque sedulo tractanda, ac  
concio evangelii.

VI. Ministerium ecclesiasticum ab ipso Deo in-  
stitutum est, ut textus germanicus habet.

VII. Sic quoque evangelii & Sacramentorum autor est ipse Deus. *Ibidem.*

VIII. Verbum & Sacramenta sunt instrumenta salutis, seu media, (ut textus germanicus loquitur) ex parte Dei.

IX. Quando *instrumenti* vocab. h. l. adhibetur, non intelligitur mere passivum ac separatum; sed activum, cooperativum & conjunctum. Verbum enim & Sacramenta habent ex ordinatione divina virtutem insitam, effectus supranaturales ac spirituales producendi.

X. Per Verbum & Sacramenta donatur Spiritus Sanctus.

XI. Ante fidem donatur ut donum gratiæ prævenientis, præparantis ac operantis, ad fidem producendam.

XII. Accensa fide donatur ut donum gratiæ inhabitantis, ad fidem conservandam & confirmandam, opusque renovationis inchoandum & continuandum.

XIII. Spiritus S. operatur fidem, seu causa efficiens principalis.

XIV. Spiritus S. efficit fidem ubi & quando visum est Deo, vel, ut textus germ. habet, ubi & quando ipse vult.

XV.

XV. Verba hæc: *Ubi & quando visum est Deo,*  
non inferunt absolutum Dei decretum,

XVI. Schwenckfeldiani apud JANUM in disp. *de*  
*methodo Jesuitica convertendi Schwenckfeld. in Silesia,*  
p. 5. eodem modo, ut Aug. Conf. loquuntur: *Jesus*  
*Christus / der Sohn Gottes / gibt Frömmigkeit /*  
*und rühret das Herz des Menschen / wenn er wil /*  
*und wo er wil /* at sensu longe diversissimo. In-  
telligunt enim immediatam regenerationem, quæ fit  
absque verbo, vel saltem non per verbum. Hinc  
addunt l. c. *durch seinen Geist bey der Predigt. Mer-*  
*cke / bey der Predigt / nicht durch die Predigt / auch /*  
*wenn er wil / ohne die Predigt / wie es ihm wolge-*  
*fället.* Hæc vero pugnant cum articulo nostro, ut  
antithesis docet. Interim tamen MELANCTON pri-  
vata autoritate in edit. Aug. Conf. variata verba hæc  
omisit, ut Fanaticis omnem ad Aug. Conf. provo-  
candi occasionem præcideret.

XVII. Cæterum, verba hæc indicant i.) regenera-  
tionem nostram non pendere à nostra dignitate no-  
strisque præparationibus & meritis, quemadmo-  
dum homo naturalibus viribus ac meritis suis sibi  
habitum aliquem naturalem, aut dignitatem in re-  
publica, acquirere & comparare potest, quando &  
ubi

ubi ipsi visum est, sed tantum à gratiosa operatione Spiritus S. qui absque nostris præcedentibus meritis fidem pro sua benevolentia confert. Id quod ex ipso hoc articulo ejusque antithesi manifestum est. Conf. Rom. IX. 16. 2.) Ordinem, quo fidem conferre placet, *ubi* nempe & *quando* videt, homines mediis, divinitus ordinatis, rite uti, gratiosæque suæ operationi non resistere. 3.) Ratione circumstantiarum loci & temporis pro sapientia ac libertate Dei aliquam dari diversitatem, dum huic citius, alteri tardius, fidem donat, nunc in hac gente, nunc in alia, sibi ecclesiam colligit. Quæ ad voluntatem Dei concomitantem referunt Theologi, salva antecedente universali. Vid. *Form. Conc.* p. 812.

XVIII. Spiritus S. fidem efficit in iis, qui audiunt evangelium. Joh. VI. 45.

XIX. Interim tamen auditus verbi externus, in se spectatus, pertinet saltem ad actus pædagogicos, qui sunt in potestate hominis naturalis.

XX. Concio evangelii, f. objectum ejus reale, est, quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum justificet hos, qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi. Ergo Evangelium, proprie & stricte sumtum, tantum est concio gratiæ.

Ex

EX EODEM

ARTICULO V. AUG. CONFESS.  
DE MINISTERIO ECCLE-  
SIASTICO.

RESP. G. W. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pom.*

OPPON. D. L. SALTHENIUS, *Helf. Svecus.*

ET

OLAUS WAHLBERG, *Carolicoron. Svecus.*

XXI. **H**omo non justificatur propter sua merita,  
præparationes & opera.

XXII. Non justificantur impii, quamdiu tales  
sunt, sed credentes.

XXIII. Spiritus S. non contingit sine verbo ex-  
terno.

XXIV. Cumque solus Spiritus S. fidem efficit,  
sequitur, quod nec Spiritus S. nec fides sine verbo  
externo contingant ipsis infantibus baptizatis. Conf.  
Artic. 2. th. 17.

XXV. Soli infantes Christianorum, absque ba-  
ptismo decedentes, ad instar Johannis Baptistæ, u-  
tero inclusi, sine verbo externo regenerantur, mo-  
do plane singulari ac extraordinario.

XXVI. Fides, quam nonnulli fingunt, naturalis  
merito ad figmenta corruptæ rationis refertur.

D

Ex

EX  
ARTICULO VI. AUG. CONFESS.  
DE NOVA OBEDIENTIA.

I.

**V**era fides justificans debet bonos fructus parere. Ideoque non est vera, sed mortua fides, quæ non parit bonos fructus.

II. Per bonos fructus intelliguntur bona opera, tam interna, quam externa. Vid. textus germ.

III. Quamvis ante fidem dentur in convertendis boni motus piæque cogitationes, à Spiritus S. gratia præveniente & preparante excitati, dolor ob peccata, terrores conscientiae, conatus assentiendi, desiderium gratiae, lucta adversus carnem &c. bona tamen opera, specialiter & stricte sic dicta, ad quæ efficienda cooperatur ipse homo, amor Dei & proximi, spes salutis, patientia in adversis &c. non antecedunt fidem, sed eam ceu fructus consequuntur, & inseparabiliter quidem, nullo intercedente temporis momento, quo fides sit absque his fructibus.

IV. Bona opera sunt, quæ fiunt à regenitis, ex virtute Spiritus S. eoque cooperante, per fidem, juxta normam legis & cujuscunque vocationem, in honorem Dei verumque nostrum ac proximi commodum, non habita ratione divitiarum, volupta-



luptatis gloriæque mundanæ, Phil. I. ii. Matth. VI. I. - 6. Luc. VI. 32. 33. seqv.

V. Cum hæc descriptio minime convenit operibus gentilium, civiliter bonis; sequitur, illa non esse vere ac spiritualiter, s. Theologice, bona Deoque placentia, sed, si recte æstimantur, splendida peccata dicenda.

VI. Oportet bona opera, à Deo mandata, facere.

VII. Non ergo oportet opera facere electitia verboque divino contraria.

VIII. Mandata divina de bonis operibus faciendis habentur in Decalogo ejusque explicationibus, passim in Veteri æque, ac Novo Testamento, obviis. Norma itaque & regula Bon. oper. est lex Dei.

IX. Bona opera factu sunt necessaria propter voluntatem Dei ejusque gloriam, à nobis ubivis promovendam, propter proximum diligendum, adjuvandum, nostroque exemplo excitandum confirmandumque, denique & propter nos ipsos, ne excidamus ex gratia, contristando Spiritum S. & ut habeamus testimonia fidei ac regenerationis nostræ.

X. Ex his apparet, quando studium bonorum operum necessarium esse dicitur, non intelligi necessitatem ex coactione, sed necessitatem ex lege & obligatione, quæ cum spiritu spontaneo regenerationum optime consistere potest. Nec enim placent

Deo opera, nisi fiant spiritu spontaneo. Simul etiam rejicitur necessitas medii ad salutem.

XI. Frustra confidit homo per bona opera justificationem, vel quicumque aliud, coram Deo promereri, voce hac proprie accepta, quia 1.) non sunt debita. Luc. XVII. 10. 2.) Nec nostra. 3.) Nec perfecta, nulla indigentia venia. 4.) Nec inter illa & mercedem datur proportio compensativa. 5.) Nec denique commodum ac felicitatem Dei promonent augentque.

XII. Interim tamen opera vere bona Deo placent propter Christum, mercedem tam hujus, quam futurae vitae, à Deo ex gratia promissam, certo consecutura.

XIII. Remissio peccatorum & justificatio non differunt realiter, sed mutuo se explicant: *Remissio peccatorum, quae est justificatio.*

XIV. Remissio peccatorum & justificatio fide apprehenditur.

XV. In controversiis Theologicis disceptandis unice respiciendum est ad vocem Christi, non Papæ, nec ecclesiæ, præter & contra vocem Christi aliquid statuentis.

XVI. Patrum veteris ecclesiæ scripta non sunt principium unicum, nec comprincipium Theologiæ. Interim, ubi veritatem profitentur, tanquam testes contra adversarios recte adducuntur. Ex

EX EODEM

ARTICULO VI. AUG. CONFESS.  
**DE NOVA OBEDIENTIA.**

RESP. JUL. JUSTUS GEBHARDI, *Brunsvicensis.*  
 OPPON. PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino - Pomer.*

ET  
 JO. JAC. TETZLOF, *Gryphisw. Pomer.*

XVII. Verba de justificatione gratuita per solam fidem, absque operibus, AMBROSIO (Mediolan.) h. l. attributa, exstant in principio *Comm. in Ep. I. ad Corinth. Opp. Ambros. To. V. p. 244. ed. Basil. 1546. & To. II. p. 112. App. ed. Paris. 1690.* An vero Commentarius ille vere AMBROSII agnoscat autorem, disputant eruditi. Sub initio reformationis videtur hoc vulgo creditum fuisse. Et sub AMBROSII nomine hæc ipsa verba adhuc CHEMNITIUS adducit *in LL. Th. P. II. p. m. 286.* Negant vero ERASMUS, BELLARMINUS, GERHARDUS, RIVETUS, CAVEUS, PLACCIUS, LAUNOJUS, DU PIN, hodieque eruditi ad unum fere omnes. Cæterum, hoc licet concessio, minime tamen Augustanæ Confess. vitio tribuere licet, quod AMBROSII nomen allegat. In brevi enim ac succincta Confessione, ubi non critice de autoribus librorum disputandum, sed fidei dogmata proponenda fuerunt, loquendum erat secundum communem senti-

tentiam, quia Commentarius ille inter opera AMBROSII, jam aliquoties ante scriptam Aug. Conf. edita, comparebat, & AMBROSII opus esse, vulgo credebatur. Ut itaque Imperator ceterique auditores intelligerent, ubi verba adducta quærenda, AMBROSIIUS nominandus erat, utpote in cujus operibus legebatur.

XVIII. Libri Symbolici obligant saltem ad ipsa dogmata fidei & morum, in iis asserta, non vero ad quævis accidentalia omnesque circumstantias, phrasēs, probationes, allegationes. Ita cum B. SPENERO sentiunt SONNTAGIUS in *Illice Anti-Symb. & obice orthod.* p. 10. FECHTIUS in *Sylloge disp. 5. th. 7. &c.* hac in parte discedentes à *Wittebergensibus*, qui in *der Christ-Lutherischen Vorstellung Art. V. prælim.* scribunt: Wir glauben / bekennen und lehren / daß die Symbolischen Bücher nicht allein in denen Sachen und Lehren / sondern auch in andern Stücken / die nach der Schrift der Kirchen mitgetheilte göttliche und NB. in allen Puncten verbindliche Wahrheit seyn. Conf. JOACH. LANGII *Antibarb. To. II. p. 594.* Cæterum, quod de phrasibus dictum est, comparari meretur cum Præfatione Concordiæ generali, §. *Nos certe &c.* Videntur tamen Confessores loqui de phrasibus, data opera assertis præceptisque, Theologi vero de obiter occurrentibus.

Ex

Ex  
ARTICULO VII. AUG. CONFESS.  
DE ECCLESIA.

I.

**D**atur ecclesia, hocque credere plurimum refert.

II. Una est ecclesia, propter unitatem Domini, capitis, corporis, spiritus, spei, doctrinae, fidei, eucharistiae, denique & sanctitatis vitae.

III. Prædicatur autem hæc unitas de ecclesia & secundum quid & absolute universali. (Vid. KÖNIGII *Theol. pos. P. 3. §. 1007. seqq.*) Quæ unum est per accidens, s. ens per aggregationem. Quatenus vero fideles, per orbem terrarum dispersi, certis congregationibus, regionibus ac urbibus alligatis, sunt distincti, sicque particulares constituunt cœtus, ab aliis distinctos, multæ dici possunt ecclesiæ, scil. particulares. Quæ tamen ab universali non differunt specie, nec ut specie diversæ sub uno communi genere continentur: sed differunt saltem ut partes homogeneæ à suo toto, quemadmodum singulæ guttæ à toto mari, singula grana à toto acervo. Quamvis ergo hæc vel illa particularis vera ecclesia non sit illa una ecclesia, est tamen de una.

IV. Vera

IV. Vera ecclesia ita una ac unica est, ut neque dividi possit in partes, nec admittat ecclesias alias, eodem veritatis titulo ornandas, quæ non eundem profiteantur dominum unicum, idem habeant caput unicum, eodem regantur spiritu unico, eandem habeant fidem, spem, doctrinam, (si fundamentalia & ipsam substantiam ejus spectes) iisdem denique utantur Sacramentis, observato tamen discrimine V. & N. T.

V. Cumque variæ in orbe dominantes Sectæ, tam Christianorum quam infidelium, Pontificia, Calviniana, Arminiana, Sociniana, Anabaptistica, Judaica, Gentilium, Turcarum, &c. &c. non servent illam hætenus descriptam unitatem, sequitur, illas non esse partes unius illius veræ ecclesiæ, nec omnino veritatis encomio dignas.

VI. Fallunt ergo & falluntur ipsi, qui, indifferetistico spiritu excæcati, docent, vel in omnibus religionibus hominem salvari posse, vel, apostasiam à Lutherana ad Pontificiam, aut Calvinianam, non esse saluti perniciosam.

VII. Ecclesia vera est sancta, s. à sordibus peccati purgata, imputative & inhæfive.

VIII. At ex impietate hominum, etiam plerorumque, certæ ecclesiæ visibili addictorum, non, illam haud esse veram, colligere licet.

Ex

EX EODEM

ARTICULO VII. AUG. CONFESS.

DE ECCLESIA.

RESP. JUL. HEINR. CHEMNITIUS, *Hamburgensis.*

OPPON. BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano-Pomer.*

ET

NIC. BERNH AMBDERS, *Tundera Holstus.*

IX. **V**era ecclesia universalis & invisibilis perpetuo mansura est, dominante licet per totum orbem corruptione & tyrannide. Contra vero, particularem quendam ac visibilem cœtum â fide deficere posse, tristis, proh dolor! docuit experientia.

X. Est autem ecclesia congregatio omnium (*juxta Text. germ.*) sanctorum, in qua evangelium (late acceptum) recte docetur, & recte administrantur Sacramenta.

XI. Veræ ecclesiæ notæ infallibiles sunt pura ac sincera verbi divini prædicatio, & legitima sacramentorum administratio. Non, quasi omnia individua ac membra illius cœtus visibilis, in quo notæ istæ conspiciuntur, sint veræ ecclesiæ viva membra;

E

sed,

sed, quod in illo cœtu, in quo verbum pure prædicatur & sacramenta rite dispensantur, vere sanctorum congregatio, veraque proinde detur ecclesia. Cum enim ecclesia sit congregatio sanctorum, & fieri non possit, quin sincera verbi prædicatio legitimæque sacramentorum administratio saltem aliquos efficiat vere sanctos, juxta Jesa. LV. IO. II. sequitur, quod ibi sit cœtus vere sanctorum, & consequenter vera ecclesia, ubi verbum pure prædicatur & sacramenta rite dispensantur.

XII. Cum istæ notæ saltem valeant respectu hominum, veram ecclesiam quærentium, non respectu Dei, qui immediate cor hominis scrutatur, sequitur, de ecclesia florente hæc omnia dici, ubi liberum est publicum veræ religionis exercitium, illudque dominatur. Cæterum, ubi ecclesia est corrupta, & errores cum vitæ impietate atque sacramentorum corruptione dominantur, fieri potest, ut propter defectum harum notarum veram ecclesiam prorsus interiisse credamus, quæ tamen in ipso hoc cœtu corrupto servatur, occulte & privatim retinens verum verbi divini sensum legitimamque sacramentorum administrationem. I. Reg. XIX. IO. 14. 18.

XIII. Ex his patet, quod recte dicatur, ecclesi-  
am



am Pontificiam ante Lutherum non fuisse veram ecclesiam, & tamen in ipsa ecclesia Pontificia veram ecclesiam fuisse servatam.

XIV. Ad veram unitatem ecclesiæ (i.e. ut cœtus aliquis particularis sit pars veræ illius atque unicæ ecclesiæ universalis, cumque ea habeat communionem) satis est, consentire de sincera doctrina evangelii & legitima administratione sacramentorum.

XV. Quod de consensu in doctrina dictum est, præcipue quidem de dogmatibus fundamentalibus intelligitur, juxta *Apol. A. C. pag. 148.* nec tamen non fundamentalia parvi pendenda sunt, cum æque à Deo sint revelata ac fundamentalia. Imo, qui cœtus errores non fundamentales defenderint, quibus dogmata fundamentalia per legitimam consequentiam evertuntur, ii merito fundamentaliter errare dicuntur, nec cum vera ecclesia de doctrina evangelii consentiunt.

XVI. Quod vero de Sacramentis dictum est, eorundem substantialia, sive materiam & formam, concernit. Sed illæ quoque intelliguntur circumstantiæ, quæ à Christo instituyente expresse sunt mandatæ.

XVII. Cœtus Pontificior. ac Calvinianor. quatenus Symbolis publicis publicæque inter eos dominantis doctrinæ adhærent, non consentiunt cum vera ecclesia de doctrina evangelii & legitima sacramentorum administratione. Ideoque non pertinent ad unicam illam veramque ecclesiam universalem, nec pro fratribus in Christo sunt agnoscendi.

XVIII. Interim non negamus, in ipso Pontificiorum ac Calvinianorum cœtu dari quosdam vere Sanctos, vivaque veræ ecclesiæ membra, qui vel corruptelas dominantes ignorant, vel easdem non approbant, sed simpliciter inhaerent genuinis religionis Christianæ fundamentis, ex iisque fidem conceperunt. Huc pertinent omnes infantes, per baptismum recens regenerati, qui, si statim in infantia decedunt, ex ecclesia vera militante in triumphantem evehuntur.

XIX. Neceffe non est, ubique (i. e. in omnibus ecclesiis particularibus) esse similes traditiones humanas, seu ritus, aut ceremonias, ab hominibus institutas, cum etiam absque illa similitudine ecclesiæ particulares possint esse de unica veraque ecclesia.

Ex

Ex

ARTICULO VIII. AUG. CONFESS.  
QVID SIT ECCLESIA.

RESP. HENRICUS FRIDERICUS DUNCKER, *Stralsf. Pom.*  
OPPON. GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pom.*

ET

OLAUS WAHLBERG, *Zachrisson, Carolicor. Svecus.*

I.

**E**cclēsia proprie dicta non est communis cœtus visibilis eundem Christum eandemque doctrinam externe profitentium, sed congregatio omnium (ut Textus Germ. habet) Sanctorum & vere credentium.

II. Sancti dicuntur illi, qui & imputative & in hærenter tales sunt. Vere credentes sunt, qui per fidem salvificam cum Christo sunt uniti.

III. Soli ergo regeniti ac pii constituunt ecclesiam proprie dictam, tanquam vera ac viva membra corporis mystici, cujus caput est solus Christus, nullum agnoscens caput vicarium.

IV. Ex his etiam sequitur, ecclesiam esse nomen collectivum, non unico competens Papæ, sed multitudinem credentium complectens.

E 3

V. Ec-

V. Ecclesiæ proprie dictæ in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sunt, Doctores pariter ac auditores, membrorum instar mortuorum, corpori externe adhærentium, sed influxu interno vitali destitutorum. Vid. Joh. XV. 2.

VI. Doctores hypocritæ & mali non sunt instructi virtutibus ac donis illis, quæ Paulus in genuino ac probò ecclesiæ ministro requirit, Tit. I. 6. seqv. 1. Tim. III. 2. seqv. Nec itaque pro idoneis mysteriorum divinorum dispensatoribus ecclesiæque rectoribus haberi possunt.

VII. Nihilominus, ubi, ecclesia Deoque permitte, sacro officio pastorali funguntur, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur, modo id fiat juxta institutionem Christi.

VIII. Licet quoque eorum, dummodo sint rite vocati, interesse concionibus, quamdiu analogiæ fidei stricte inhærent.

IX. Sedere in cathedra Moſis, (Matth. XXIII. 2. 3.) est, vi publicæ vocationis fungi officio publice ex Moſis scriptis docendi, per eundem constituto. Quatenus ergo & quamdiu in cathedra Moſis sedebant, sive munere suo, publice ex Moſis scriptis docendi, rite & secundum constitutionem Moſis fungebantur, audiendi erant Scribæ & Phariſæi.

X. Sa-

X. Sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Interim ministri impietas animos auditorum haud raro ita corrumpere potest, ut verbi efficaciam vix unquam admittant. Sic quoque defectus sapientiae spiritualis, quo laborat minister impius, obstat, quo minus verbum divinum ubi vis rite tractare eoque salutarem effectum producere possit. Hinc, ut & ipse sit pius verboque divino obediens, omnino est necessarium.

XI. Etiam mali ministri funguntur vice Christi. Non repraesentant suam personam, juxta illud: Qui vos audit, me audit. *Apol. A. C. p. 155.*

XII. Doctores haeretici, quos *Apol. A. C. l. c.* impios vocat, deferendi sunt, quia hi jam non funguntur persona Christi, sed sunt Antichristi.

XIII. Ministerium malorum non est absolute inutile & inefficax. Caterum, quia non omnes officii sui partes rite exequi possunt, manifestum est, tristissima hoc comprobante experientia, non illos sequi posse effectus, nec conspici fructus, qui sequi debebant ac poterant, miserrimumque illius ecclesiae esse statum, quae Pastoris impii curae, vel potius negligentiae, est concredita.

Ex

EX

ARTICULO IX. AUG. CONFESS.  
DE BAPTISMO.

I.

**B**aptismi vocabulum generatim significat ablu-  
tionem & tinctionem, sive immersione pera-  
gatur, sive affusione atque adspersione. Non  
itaque speciali mandato Scripturæ ad hunc vel il-  
lum ritum ecclesia est adstricta. Immersionem ta-  
men in ecclesia primitiva fuisse usitatissimam, facile  
largimur, hodie largiore affusione merito instauran-  
dam.

II. Baptismus est necessarius ad salutem, non so-  
lum necessitate præcepti, sed etiam medii, non ex-  
pedientiæ solum, sed & exigentiæ, respectu eorum,  
qui Baptismi participes fieri possunt. Quique pro-  
inde ob contemptum damnantur, quando eundem  
negligunt, vel non admittunt, ubi conferri potest.  
Atque ob hanc summam necessitatem, baptismum  
in casu necessitatis etiam à laicis administrari posse,  
statuimus.

Ex

EX EODEM  
ARTICULO IX. AUG. CONFESS.

DE BAPTISMO.

RESP. PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino-Pomer.*  
OPPON. JOHANN. JAC. TETZLOF, *Gryphisw. Pomer.*

ET

JUL. JUSTUS GEBHARDI, *Brunswicensis.*

III. Non vero est absolute necessarius etiam respectu illorum, qui citra suam culpam eodem privantur. Adulti quippe ex verbo fidem concipere possunt. Infantibus Christianorum eandem Deus confert modo extraordinario. Instituta obligant salvandum, non constringunt salvantem. Hinc, quid de salute infantum Christianor. absque baptismo decedentium, sit statuendum, facile intelligitur.

IV. Ab ipso baptismo probe distingvendi sunt ritus, ecclesiæ judicio additi, & inprimis quidem exorcismus. Illi, absolute spectati, non habito respectu ad liberam ecclesiæ constitutionem, nulla ratione sunt necessarii, sed ad adiaphora merito referuntur, communi ecclesiæ consensu mutabiles iterumque abrogandi.

V. Nec leges ecclesiasticæ Protestantium absolutam eorundem necessitatem statuunt. Hinc ipse

F

exor-

exorcismus in baptismo, urgente necessitate à laicis administrando, omittitur, nec in benedictione sequente adhibetur. LUTHERUS *To. 8. Jen. fol. 50. n. 45.*

VI. Cæterum, ubi communi ecclesiæ consensu recepti sunt, pacis ac boni ordinis causa merito sunt observandi. Nec uni ecclesiæ membro, multominus Principi, extra ecclesiam constituto, eosdem invita ecclesia mutare, vel abrogare, licet.

VII. Baptismus offert gratiam Dei. Non ergo est signum mere significativum, non offerens, sed representans saltem & in memoriam revocans gratiam Dei, quale e. gr. iris est. Gen. IX. 13. seqv.

VIII. Si baptismus gratiam Dei offert, ergo eandem sibi habet annexam, digneque utentibus vehiculi & medii instar certo etiam confert.

IX. Gratia Dei h. l. omnia ea complectitur, quæ ad beatitudinem hujus & futuræ vitæ pertinent. Hinc baptismus in Catechismo operari dicitur remissionem peccatorum, liberare à morte & diabolo, denique & æternam conferre salutem.

X. In infantibus quidem primum fidem excitat, qua porro reliqua bona omnia illis applicantur. In adultis hæc omnia auget, obsignat & confirmat.

XI. Ex



XI. Ex hactenus dictis patet, etiam baptismum ad fundamentum fidei pertinere. Qui ergo baptismum inefficaciam regenerandi gratiamque divinam offerendi & conferendi detrahunt, id quod faciunt Reformati, illi hoc ipso in fundamentum fidei impingere recte dicuntur.

XII. Infantes æque baptizandi sunt ac adulti, modo sint vivi nostrique juris.

XIII. Infantes, vel nulla, vel aliqua saltem ex parte, in lucem editos, baptizare simpliciter prohibent Agenda eccles. Pomer. fol. 101. b. Ubi explicite quidem pars aliqua minus principalis, manus aut pes, saltem nominatur; addita vero ratione: *Denn was nicht ganz zur Welt geböhren ist zc.* etiam pars principalis, caput, includitur. Conf. GERHARDUS in *Loc. de Baptismo* §. 167. Dissentit tamen DANHAUERUS in *Theol. Casuali*, p. 490. quando aliquod saltem membrum, quodcumque demum sit, prominet, cum & infans, in utero adhuc jacens, jam sit ac dicatur generatus, Matth. I. 20.

XIV. Per baptismum infantes Deo oblati recipiuntur in gratiam, vel, ut Text. germ. habet: *Durch die Tauffe werden sie Gott gefällig.*

XV. Cumque impossibile sit absque fide Deo

placere; sequitur, baptismum fidem in infantibus producere.

XVI. Infantes credere posse, docet exemplum Johannis, Luc. I. 44. 41. 15. Eisdem vero, accepto baptismo, etiam actu credere, certissimum est, quamvis natura fidei, uti & pœnitentiæ, quæ in iis datur, nobis exacte non sit cognita perspectaque.

XVII. Quod baptismus in infantibus producat fidem ex opere operato, diverso sensu & affirmari & negari potest. Hoc scilicet, si per opus operatum intelligas solum actum externum adspersionis, abstrahendo ab ordinatione divina & operatione Spiritus S. cum actu baptismi conjuncta. Illud, quatenus comparantur infantes cum adultis, in quibus Sacramenta salutares effectus producere nequeunt, nisi jam adsit fides, gratiam, in Sacramentis oblatam, recipiens, quæ vero in infantibus demum est producenda.

XVIII. Infantes Christianorum, baptismis privatos, nihilominus salvos fieri posse actuque salvari, facile concedimus. Qui vero inde infantum baptismum simpliciter improbant, merito sunt damnandi, æque ac illi, qui ideo ordinarium usum ciborum improbare vellent, quod nonnunquam aliqui extra ordinem absque cibo & potu sunt conservati.

Ex

EX  
ARTICULO X. AUG. CONFESS.  
DE COENA.

RESP. NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera-Holsatus.*

OPPON. BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano-Pomer.*

ET

JUL. HEINR. CHEMNITIUS, *Hamburgensis.*

I.

**C**œna vocabulum de sacro hoc epulo licite adhibetur. Ipse enim Paulus i. Cor. XI. 20. idem (non Agapas) vocat *δέιπνον*, (quod prandio expresse opponitur Luc. XIV. 12.) licet probabiliter matutino tempore celebraretur. WERNSDORF, disp. *de recent. contr. de S. C.*

II. Domini cœna dicitur, quia à Domino nostro Jesu Christo est instituta, eundemque ipsum nobis exhibet manducandum & bibendum.

III. Verum corpus & sanguis Christi vere adsunt in Sacra Cœna sub specie panis & vini.

IV. Non ergo mera adsunt corporis & sanguinis figura. Nec voc. *EST* in verbis institutionis idem notare potest, quod *significat*, quasi panis & vinum corpus & sanguinem Christi tantum significant.

F 3

V. Qui

V. Qui virtute saltem atque operatione alicubi præsens est, is non ipse adest *vere*, quemadmodum ipse sol non adest *vere* in his terris, nec Rex ipse versatur inter omnes subditos inque omnibus suo imperio subiectis provinciis ac urbibus, quia virtute duntaxat atque operationibus sunt præsentis. In Cœna autem *vere* adsunt *ipsum* corpus & sanguis Christi. Ergo non spiritu tantum, virtute & operatione, sed ipsa *substantia* sua *vere* sunt præsentia. Unde in APOLOGIA voc. *vere & substantialiter* conjunguntur.

VI. Vocabulo *Gestalt*/ quod in textu germ. habetur, respondet latinum *species*. Non vero sensu Pontificio accipitur *grammaticæ*, quatenus ipsi substantiæ rei opponitur, & externam solum figuram, phantasma, accidentia panis & vini, significat. Jamdudum enim transsubstantiationis figmentum exploserat Lutherus. Sed adhibetur in significatione *Logica*, quatenus generi opponitur, & notat substantiam ipsam panis & vini, in distinctione ad alias cibi & potus species, quod germ. efferret: *Unter beyderley Art Speise und Tranccks/ so da sind Brodt und Wein.* Clarissime hoc docet APOLOGIA, speciei voc. explicans per *res illas, quæ videntur, panem & vinum.*

VII. Im-

VII. Improbandi ergo sunt, qui, Philippum, metu seductum, Confessionem Pontificiorum gustui, qui eadem phrasi: *sub specie panis & vini*, transubstantiationis dogma exprimere solent, attemperasse, statuunt.

VIII. Quando corpus & sanguis Christi *sub specie panis & vini* vere adesse dicuntur, neutiquam localis inclusio, aut duarum substantiarum coalitio atque confusio, nec denique transubstantiatio intelligitur: Sed docetur, Christum ipsa corporis & sanguinis sui substantia symbolis eucharisticis, pani ac vino, in ipso usu sacramentali, manducationis ac bibitionis actu, adeoque in ore omnium, qui S. C. utuntur, esse presentissimum, cumque symbolis unitum, unione quidem intima & arctissima, attamen arcana, incomprehensibili, nullisque sensibus obvia.

IX. Hæc presentia locum habet *in Sacra Cœna*. Ergo non extra cœnam. Frustra igitur Pontificii eandem sibi persvadent extra verum legitimumque usum, s. manducationis & bibitionis actum, quando hostia in ciborio asservatur, vel circumgestatur atque spectanda & adoranda exponitur.

X. Corpus & sanguis Christi *sub pane & vino* distribuuntur *vescentibus* in Cœna Domini. Quo itaque

itaque organo vescimur pane & vino, nempe ore corporis, eodem vescimur etiam corpore & sanguine Christi.

XI. Inter illos, qui pane & vino vescuntur, multi dantur indigni ac impœnitentes. Ergo & illi ore corporis accipiunt corpus & sanguinem Christi.

XII. Quicumque demum sit panis, in S. C. adhibendus, s. azymus, s. fermentatus, in frustra fractus vel non fractus, rotundus vel oblongus, cujuscunque etiam sit frumenti, vel quantitatis, nihil refert, modo sit verus ac naturalis, ex farina & aqua pistus, virtute ignis coctus & nutritioni aptus. Cumque hæc veri panis requisita nostris quoque placentulis orbicularibus competunt, sequitur, easdem jure haud improbari posse.

XIII. Idem de vino sentiendum est. Sive enim album fuerit, sive rubrum, acre vel dulce, sive etiam majori vel minori copia, denique & purum vel aqua dilutum, hauriatur, perinde est, modo sit verus ac naturalis vitis fructus.

XIV. Sacra Cœna vescentibus distribuenda est sub utraque specie. Distincte enim sub pane Christus tradidit corpus, & sub vino sanguinem suum.

Ex

EX EODEM

ARTICULO X. AUG. CONFESS.

DE COENA.

RESP. JO. JAC. TETZLOF, *Gryphisw. Pomer.*

OPPON. HENR. FRIDER. DUNCKER, *Stralsf. Pomer.*

ET

GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pomer.*

XV. *Antithesis: Et improbant seculi docentes, ÆGID. HUNNIUS tribuit Melanchthoni, ejusdem consensum cum Luthero in doctrina de substantiali presentia corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœna ostensus, Lib. de Sacramentis, p. m. 26. At, Lutherum (qui Coburgi adscripserit) autorem venditant Jo. MARBACHIIUS im Unterricht vom Abendmahl / p. 549. & ex eo Löscherus atque Frickius.*

XVI. *Per seculi docentes Confessores non solum Anabaptistas intellexerunt, sed ipsos etiam Zwinglianos, s. Sacramentarios. Quod, præter totam certaminis Sacramentarii historiam, luculentissime docet Georg. Spalatinus in Annal. à Cypriano editis, p. 137. Bey jedem Artikel des Glaubens hat man auch die Gegen-Lehre und irrige Meinung und Kezeren-*

G

en/

en/ als Sacrament-Schwärmer/ Wiedertäufer/ &c.  
verworfen. Ubicunque ergo Zwingliani dissenti-  
unt, ibi, licet non explicite, implicite tamen, sunt  
improbati. Atqui à X. art. Aug. Conf. dissentiunt.  
Ergo,

XVII. Sequitur inde, Reformatos non esse so-  
cios Aug. Confessionis. Nec quicquam eos juvat  
*Art. 7. Instrum. Pacis Osnabrig.* Ibi enim voc. illos  
non *Augustanæ Confessioni addictos Status*, sed *ordines  
Imperii*, respicit. Vid. PFANNERI *Histor. Pacis Westph.*  
*p. m. 611. 613. 614.*

XVIII. Cum, Sacra Cœna fidem confirmari ac  
corroborari, negari nequit, sequitur, eandem æque  
ad fundamentum fidei pertinere, ac verbum & Ba-  
ptismum. Quicunque ergo Sacramentum hoc vir-  
tute sua fidem confirmandi confortandique privant,  
id quod faciunt Reformati, corpus & sanguinem  
Christi eliminantes, nudaque relinquentes symbo-  
la, illi fundamentum fidei evertere recte dicuntur.

XIX. Melancthonem in Confessione variata  
antithesin consciis ac probantibus Statibus Prote-  
stantibus ipsoque Luthero omisisse, sine ratione as-  
feritur. Contrarium patet ex historia Colloquii  
Wormatiensis A. 1540.

Ex



Ex

ARTICULO XI. AUG. CONFESS.  
DE CONFESSIONE.

I.

**P**eccata & publice & privatim Deo proximoque confiteri, in Scriptura expresse mandatum est.

II. Qui publicis scandalis totam ecclesiam offendunt, iidem etiam ad publicam criminis confessionem tenentur.

III. Peccata peccatis cumulant, qui coram ministro ecclesiae, curam animae gerente, negant crimina vere commissa. Cum enim minister Christi vice fungitur, sequitur, peccatorem compellatum ad delictum non minus illi ac ipsi Christo confitendum, esse obligatum.

IV. At confessio privata, quae ordinarie fit ante usum S. Coenae coram ecclesiae ministro, ejusdemque absolutio, non habent expressum in Scriptura mandatum.

V. Non ergo sunt absolute necessariae, nec proinde in illis ecclesiis, ubi haecenus intermissae sunt, necessario restaurandae.

VI. Interim in ecclesiis, ubi haecenus sunt receptae, merito retinentur, ob egregios, qui inde, si & Ministri & auditores rite segerunt, & faciunt, quod

G 2

fui

fui est officii, sequi possunt, fructus, in examinandis & instituendis rudioribus, in redarguendis immorigeris, consolandis denique afflictis.

VII. Variis, per incitiam, negligentiam, avaritiamque Pastorum, passim sacrum hunc actum conspurcatum esse abusibus, negari nequit. Interim ob abusum non est simpliciter tollendus usus. TOLLANTUR ABUSUS, & MANEAT USUS.

VIII. Nec ergo in gratiam Reformatorum abrogandus est, ut salva maneat libertas Christiana.

IX. Peccat Princeps Reformatus, qui sacrum hunc ritum, legibus territorii sui fundamentalibus & unanimi ecclesiae consensu receptum, invita ecclesia vel plane, ceu impium & abominabilem, tollere, vel saltem limitare sustinet.

X. In confessione privata non est necessaria specialis omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis, juxta Pl. XIX. 13. *Delicta quis intelligit?* Et destituitur mandato divino probatoque in sacris literis & historia primorum seculorum exemplo.

XI. Caterum, optime consulunt conscientis suis, qui, speciali aliquo delicto morsuque conscientiae afflictis, illud ipsum Pastori suo confitentur, e jusque institutione sibi medelam adferri patiuntur.

Ex

EX EODEM

ARTICULO XI. AUG. CONFESS.  
DE CONFESSIONE.

RESP. BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano-Pomer.*

OPPON. PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino-Pomer.*

ET

JULIUS JUSTUS GEBHARDI, *Brunsvicensis.*

XII. Si actio ministri est *absolutio*, ergo minister ecclesiæ, annunciato atque specialiter applicato verbo evangelii, vere absolvit pœnitentem, eique peccata remittit, licet saltem ministerialiter, ex potestate à Deo ipsi delegata.

XIII. Hinc etiam requiritur absolutio categorica.

XIV. Illa tamen non est ita absoluta, ut profit etiam impœnitentibus, quibus potius omnino dene-ganda est: Sed qua salutarem effectum saltem con-ditionata est. Qui tunc demum sequitur, si corde contrito accedunt veraque fide evangelium recipi-unt auditores.

XV. Quamvis regeneriti non habeant peccata pro-æretica ministro confitenda, omniumque delicto-rum veniam à Deo jam sint consecuti; possunt ta-men confiteri peccatum originis, ut & actualia igno-rantiæ

rantia & infirmitatis. Ipsa quoque absolutio, à Deo facta, per ministri absolutionem solenni ac speciali declaratione continuatur, ipsorumque pœnitentium conscientia de veritate & certitudine absolutionis divina confirmantur.

Ex

ARTICULO XII. AUG. CONFESS.  
DE POENITENTIA.

I.

**R**egeniti post Baptismum labi gratiaque Dei ex-  
cidere possunt & totaliter & finaliter, com-  
mittentes scilicet peccata voluntaria & proæ-  
retica.

II. Damnandi ergo sunt Anabaptistæ, negantes, semel justificatos posse amittere Spiritum S. Conf. *Artic. Schmalk. P. 3. p. 328.*

III. Cumque etiam ex Calvinianis, tam veteribus, quam recentioribus, quamplurimi eandem defendunt sententiam, sequitur, eosdem pro fociis Aug. Conf. (ne variatæ quidem, utpote quæ hac in parte cum invariata consentit) agnosci haud posse.

IV. Lapsi post baptismum à Deo consequi possunt remissionem peccatorum quocunque tempore, cum convertuntur.

V. Ergo

V. Ergo pœnitentia feria nunquam est fera, licet pœnitentia fera raro sit feria.

VI. De Conversione lapsorum ita loquitur Form. Conc. art. de Lib. arb. p. 675. *Non opus est quidem, ut rebaptizentur: necesse est autem, ut rursus convertantur. Hoc certissimum est, in vera conversione immutationem, renovationem & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde. Ut nimirum hominis mens peccata agnoscat, iram Dei metuat, à peccato se avertat, promissionem gratiæ in Christo agnoscat & apprehendat, pias cogitationes animo agitet, bonum propositum habeat, atque diligentiam in moribus suis regendis adhibeat, & contra carnem pugnet.*

VII. Ecclesia peccatoribus lapsis quibuscunque, ad feriam redeuntibus pœnitentiam, absolutionem impertiri, eosdemque in gremium ecclesiæ recipere, & ad usum sacrorum admittere debet.

VIII. Damnantur ergo Novatiani, qui nolebant Christianos, post baptismum in gravius aliquod crimen relapsos, sed ad pœnitentiam redeuntes, absolvere inque communionem ecclesiæ recipere.

IX. Proprie constat pœnitentia his duabus partibus, contritione & fide.

X. Si tamen quis volet addere tertiam, videlicet, dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, mutationem totius vitæ ac morum in melius, non refragabimur.

*Apol.*

*Apol. Aug. Conf. p. 165.* Hinc & ipsa Aug. Conf. in articulo nostro docet, quod sequi debeant bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

XI. Contritionem præcedere debet sincera ac specialis peccatorum, tam originalis, quam actualium, agnitio.

XII. Oritur hæc agnitio ex consideratione legis, per gratiosam illuminationem Spiritus S. sine qua nulla datur vera peccatorum agnitio.

XIII. Contritio consistit in terroribus, conscientie incussis, agnito peccato.

XIV. Oritur hæc contritio ex consideratione maledictionis legalis ipsiusque peccati fœditate, per ejusdem Spiritus S. gratiosam operationem, sine qua nulla datur vera contritio.

XV. Quando evangelium & doctrina de passione Christi gravitatem peccati dicitur revelare iramque Dei ostendere, & hominem peccatorem perterrefacere, tum non agit, quod proprie sui est officii, sed legis exequitur officium, docetque per consequentiam. *Form. Conc. p. 593. 594.*

XVI. Cum agnitione peccatorum & contritione debent conjunctæ esse peccati detestatio ejusdemque confessio coram Deo,

Ex

EX EODEM

ARTICULO XII. AUG. CONFESS.

DE POENITENTIA.

RESP. GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pomer.*

OPPON. NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera-Holsatus.*

ET

JUL. HENR. CHEMNITIUS, *Hamburgenfis.*

XVII. Fides in Christum præcipua est pars poenitentiae. Per illam etiam hæc fit salutaris, quæ coram Deo consistere & remissionem peccatorum consequi possit.

XVIII. Fides concipitur ex evangelio, seu absolutione, h. e. verbis evangelii, absolutionem & remissionem peccatorum promittentibus.

XIX. Evangelium & principium & objectum fidei reale est. Prius asseritur in textu latino. Posterius in germanico: Und doch daneben glauben an das Evangelium.

XX. Vera fides consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.

XXI. Damnandi sunt, qui contendunt, quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non possint.

H

XXII.

XXII. Rejiciuntur & illi, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

XXIII. Ergo propriae satisfactiones non constituunt, post contritionem cordis & confessionem oris, tertiam poenitentiae partem. Nec enim in hominis viribus propriis positum est, Deo infinito praestare satisfactionem. Nec illa requiritur, cum Christus sua obedientia sufficientissimam abundantissimamque jam praestitit.

XXIV. Multominus Pontificiorum satisfactiones fictitiae, jejunium, elemosynae, recitatio salutationis angelicae & orationis Dominicae ad normam rosarii, peregrinationes ad loca religiosa &c. tale quid efficere possunt.

Ex

ARTICULO XIII. AUG. CONFESS.  
**DE USU SACRAMENTORUM.**

I.

**S**acramenta sunt notae professionis inter homines, ita, ut ex vera de iis doctrina & legitima eorundem administratione vera Christi ecclesia cognosci



sci & ab hæreticis discerni possit. Non vero hic est  
unicus & præcipuus Sacramentorum finis ac usus.

II. Sacramenta, in se spectata, non sunt novæ N.  
T. leges, à Christo tanquam novo legislatore con-  
ditæ; sed sunt instituta. Dantur tamen præcepta  
Christi, quibus horum institutorum observatio o-  
mnibus injungitur. Vid. *BUDDEUS Theol. mor. P. II.*  
*cap. 2. §. 47. 48. sqq.*

III. Sacramenta præcipue eo fine instituta sunt,  
ut sint signa & testimonia gratiosæ voluntatis Dei  
erga nos de peccatis propter Christum remittendis.

IV. Non vero sunt signa mere significativa,  
gratiam & remissionem peccatorum picturæ instar  
saltem repræsentantia: sed simul sunt exhibitiva &  
collativa, gratiam divinam vere applicantia. Vid.  
*Apol. A. C. p. 253. 273.*

V. Sacramenta proposita sunt à Deo ad exci-  
tandam & confirmandam fidem in his, qui legitime  
ac digne iisdem utuntur.

VI. Non ergo prodest sacrificium missæ illis,  
qui ipsi sacramento non utuntur, sive vivi sint, sive  
mortui, absentes vel præsentés.

VII. Baptismus institutus est ad excitandam (i. e.  
producendam) fidem, nondum existentem, in infan-  
tibus, eandemque confirmandam in adultis.

VIII. Sacra Cœna instituta est ad excitandam (zu ermuntern und freudiger zu machen) fidem jam existentem, at langvescentem, eandemque confirmandam.

IX. Quamvis fieri possit, ut per verbum divinum, quod in Cœnæ administratione recitatur, mortisque Christi recordationem, in usu Sacræ Cœnæ homo, hætenus impœnitens, convertatur, fidesque in eo accendatur: ipsius tamen sacramenti ejusque usus finis per se non est, fidem nondum existentem producere, sed jam existentem excitare & confirmare.

X. Utendum est sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus evangelicis. Absque fide Sacramenti quidem substantia & efficacia intrinseca salvæ manent, sed salutaris fructus non sequitur in utente.

XI. Per sacramenta promissiones evangelii ipsumque bonum promissum exhibentur actu & ostenduntur.

XII. Damnantur illi, qui docent, quod sacramenta ex opere operato justificent, nec docent, fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat, remitti peccata.

Ex

Ex  
ARTICULO XIV. AUG. CONFESS.  
DE ORDINE ECCLESIASTICO.

RESP. JUL. JUSTUS GEBHARDI, *Brunsvicensis.*  
OPPON. JO. JAC. TETZLOF, *Gryphiswald. Pomer.*

ET

PETR. JOACH. SELLIN, *Wollino - Pomer.*

I.

**D**atur peculiaris ordo ecclesiasticus, s. doctorum, ab auditoribus distinctus, & à Deo ipso institutus ad verbum prædicandum & sacramenta dispensanda. Cui etiam speciale exercitium ac usus clavium est conceditus.

II. Quamvis quilibet verus Christianus privatum suos domesticos aliosque possit ac debeat, ubi necesse fuerit, docere, redarguere, excitare, consolari, iisdemque ex caritate Christiana offensas remittere, in casu etiam necessitatis sacramenta dispensare: nemo tamen in ecclesia publice ac ordinarie debet docere, aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus,

H 3

III.

III. Fœminæ plane non possunt vocari ad publicum ac ordinarium ministerii ecclesiastici exercitium.

IV. Fugiendi ac damnandi sunt, qui se ipsos obtrudunt infœciis ac invitis ecclesiæ ordinibus. Ordinarie ergo hodie necessaria est vocatio publica, specialis & externa, ad munus ecclesiasticum publice ac ordinarie obeundum.

V. Dari possunt casus, ubi extraordinarie Christiano cuivis citra specialem externam vocationem ecclesiæ ministri officio fungi licet. J.F. MAYERUS in *Musæo*, p. 4. 5. 6.

VI. Gravissime peccant, qui intempestivis precibus, promissis nuptiis, oblatiis donis, vel calumniis, sacrum officium pastorale suffurantur. Horumque vocatio recte dicitur & est vitiata, quamvis sit publica & externa, profecta à Patrono & ecclesia.

VII. Non vero peccant, qui modeste & ex sincero regno Dei inserviendi studio, animoque ad utrumque, vocationem scilicet & repulsam, parato, ecclesiarum Patronis se offerunt, modo sint idonei necessariisque donis instructi.

VIII. Totaliter illegitima est vocatio illorum, qui, solius vulgi favore ac clamore adjuti, sine magistratus

tus ac Presbyterii orthodoxorum consensu spartam ecclesiasticam occupant.

IX. Eam vero totaliter pleneque legitimam ac divinam vocationem hodie esse constat, quæ externe per legitima totius ecclesiæ facta est suffragia, Magistratu, vel Patrono, Ministerio ecclesiastico & denique ipso auditorum cœtu, in idem subjectum idoneum eligendum, vocandum ordinandumque, pravis consiliis & machinationibus omnibus, tam ex parte vocantium, quam vocati, procul faceffere iussis, libere consentientibus, eo ordine, quem cuiusque loci leges ac consuetudo exigunt.

X. Ergo jus vocandi ac constituendi ministros non competit jure divino soli Papæ, nec solis episcopis, nec soli magistratui, aut patrono, sed toti ecclesiæ, ipsique etiam particulari. Ubi tamen certus ordo observari potest, ut omnia decenter ac ordine fiant in ecclesia.

XI. Utraque pars, tam præsentantium & vocantium, quam vocandorum, pro fine habeant gloriam Dei & ecclesiæ salutem, non honores, voluptatem, lucrum, opes, aut alia commoda carnalia. Quod qui negligunt, peccant sine dubio gravissime.

XII. Vocatio mediata, quæ fit ab ecclesia, etiam  
par-

particulari, modo sit legitima, æque est divina ac ipsa immedia ta.

XIII. Falso ergo calumniantur Pontificii, in ecclesia Lutherana non esse legitimum ministerium.

XIV. In vocando requiritur etiam vocatio interna. Quæ est interna summi Numinis ad sacrum hoc officium invitatio, & ex castissima erga ministerium propensione ejusque sancto desiderio, atque donorum, ad munus illud necessariorum, collatione, clare agnoscitur.

XV. Quando Studiosi Theologiæ concionando sese exercent, non peccant in hoc Pauli effatum: *Quomodo prædicabunt, nisi misi fuerint?* Rom. X. Nam, ad illud exercitium concionatorium omnino vocantur à Magistratu & Præceptoribus suis. Siquidem magistratus ita in Academiis ordinavit, ut Studiosi Theologiæ sese & concionando exercent, & ad capeffendum ministerium ecclesiasticum ordinarium mature sese præparent ac muniant, memores illius Paulini 2. Tim. I. 6. & Ephori inspectoresque illorum concionibus intersunt. Consentiant etiam reliqua ecclesiæ membra, quorum interest, illorum dona cognita habere, quorum ministerio aliquando uti possint. Nequaquam ergo illi Studiosi reputandi sunt *αυτόλητοι*. FEURBORN. *Dissert. Theol. Fasc. VI. p. m. 108.*

Ex

EX  
ARTICULO XV. AUG. CONFESS.  
DE RITIBUS ECCLE-  
SIASTICIS.

RESP. JUL. HENR. CHEMNITIUS, *Hamburgensis.*  
OPPON. BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano - Pomer.*  
ET  
NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera-Holfatus.*

I.

**R**itus ecclesiastici, humano arbitrio instituti, in se spectati, merito ad adiaphora referuntur, quia lege divina qua speciem actus neque præcepti neque prohibiti sunt.

II. Cum tamen ordine ac decenter omnia in ecclesia fieri debent, I. Cor. XIV. 40, idque sine certis ritibus ac ceremoniis prorsus obtineri nequit: sequitur, ecclesiæ injunctum facultatemque concessam esse, ritus ac ceremonias instituendi, ad hunc finem utiles.

III. Facta ecclesiæ constitutione de ritibus piis ac ædificationi inservientibus, servandi utique sunt

I

illi,

illi, qui sine peccato servari possunt, & profunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in ecclesia.

IV. Quamvis itaque integra ecclesia, (sive universalis, sive particularis) ritus hactenus receptos possit abrogare, aliosque, prout rebus suis consultum esse videt, substituere: Quamvis etiam privatum ecclesiae membrum in casu necessitatis, & quando absque scandalo fieri potest, ab iisdem possit discedere: minime tamen uni vel alteri ecclesiae membro, aut parti, fas est, ritus, à tota ecclesia institutos, extra casum necessitatis & cum scandalo aliorum negligere, vel omnino eosdem improbare, aliosque in illorum locum surrogare.

V. Ad ritus ecclesiasticos pios ac utiles pertinent etiam certae feriae, festa & similia. De quibus legendus Catechismus major ad praecipuum tertium.

VI. Ritibus ecclesiasticis conscientiae non sunt onerandae, quasi sint cultus, ad salutem necessario observandus.

VII. Traditiones humanae, institutae ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversantur evangelio & doctrinae fidei.

VIII. Vota



VIII. Vota & traditiones de cibis & diebus &c. instituta ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sunt & contra evangelium.

IX. Cumque in Papatu hæc opinio cultus & meriti dominatur contra evangelium: sequitur, Papatum regnum Anti-Christi, ipsumque Papam, horum omnium statorem ac vindicem, Anti-Christum esse. Vid. *Necessaria defensio pupillæ evang. qu. 6. p. 150.* DORSCHÆI *Or. An A. C. Papam dicat Anti-Christum.*

X. Quamvis in Papatu multi dominantur impii ac superstitiosi ritus, opinionem cultus ac meriti annexam habentes, ideoque vel plane tollendi, vel saltem repurgandi ac emendandi; minime tamen fas est, ritus illos, quos ecclesia nostra, è regno Anti-Christi egressa, retinuit & cum Papatu communes habet, simpliciter reliquias vocare Papismi, aut superstitionis & impietatis accusare, cum partim dudum ante Papatum in ecclesia jam fuerint recepti, partim in ecclesia nostra emendati & à superstitione repurgati, de omnibus vero opinio cultus ac meriti cesset. Vid. BALTH. MENTZERI *Epp. de Papismi labe, γνωστας Lutheranis haut absque injuria adpersa.* B. ELSWICH *de reliquiis Papatu &c.*

EX

ARTICULO XVI. AUG. CONFESS.

DE REBUS CIVILIBUS.

I.

**L**egitimæ ordinationes ac leges civiles sunt bona opera Dei.

II. Imo omnes magistratus per totum orbem sunt ordinationes bonæ, à Deo constitutæ.

III. Christianis licet gerere magistratum salva conscientia.

IV. Iisdem licet exercere judicia, & judicare res ex imperatoris aliisque præsentibus legibus.

V. Licet etiam supplicia jure constituere, ipsamque capitis penam dictare.

VI. Nec absolute bella gerere prohibitum est: Sed licet jure atque legitimo modo bellare, quando summa urget necessitas. Consulendi hic de legitimis bellis legitimoque belligerandi modo sunt scriptores Juris Naturæ, GROTIUS, PUFENDORFIUS &c.

Ex

EX EODEM

ARTICULO XVI. AUG. CONFESS.  
DE REBUS CIVILIBUS.

RESP. CHRISTIAN. FRID. LANGE, *Starg. Megap.*  
OPPON. HENR. FRID. DUNCKER, *Stralsf. Pomer.*

ET  
GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pomer.*

VII. **H**inc nec militare, sive castra sequi & are merere, simpliciter est illicitum. Licet, ubi bellum geritur legitimum, & Principis patriæque salus hoc postulat, nosque denique ipsos necessariis ad militiam donis instructos novimus. Conf. DN. BUDEI disp. *de Officio imperantium circa conscribendum militem*, quæ habetur in *Selectis J. N. & G. p. 441.*

VIII. Licet & lege contrahere. (*Kauffen / verkaufen.*) Et pacta quævis legitima servanda utique sunt.

IX. Proprium tenere licet. Nec unquam bonorum communio absoluta & illimitata, vi cuius bona nostra omnium promiscue usui ac arbitrio exponenda sint, aliorumque vicissim pro lubitu in nostrum usum convertere liceat, præcepta est. Restrictam, qua egenorum inopiam pro ratione

facultatum nostrarum sublevare tenemur, facile admitterimus.

X. Jusjurandum, postulantibus magistratibus aliisque rationibus gravissimis, causam gloriamque Dei & veritatem evangelii concernentibus, dare licet.

XI. Denique & uxorem ducere ac nubere licet.

XII. Damnandi sunt Anabaptistæ, qui Christianis hæc civilia officia interdunt. Vid. SLEIDANUS & SECKENDORFIUS. De recentioribus vid. JEHRINGHII *Hist. Memnonistarum* p. 63. & DN. BUDEI *disf. de concordia religionis & status civilis*.

XIII. Evangelica perfectio consistit in timore Dei & fide.

XIV. Vera perfectio tantum est vera fides verusque timor Dei. *Textus Germ.*

XV. Non consistit evangelica perfectio in deferendis civilibus officiis ac negotiis æconomicis. *Conf. Textus Germ.*

XVI. Evangelium non tradit externam temporariam, sed internam ac æternam justitiam cordis.

XVII. Evangelium non dissipat politiam, aut æconomiam, sed maxime postulat conservare, tanquam ordinationes divinas, & in talibus ordinationibus exercere caritatem secundum cujuslibet vocationem.

Ex

Ex  
ARTICULO XVII. AUG. CONFESS.  
DE CHRISTI REDITU AD  
JUDICIUM.

I.

**F**utura est consummatio mundi, qua totum hoc universum non tantum ratione qualitatum immutandum, sed penitus qua ipsam substantiam in nihilum redigendum est.

II. In illa mundi consummatione Christus apparebit visibili reditu de cœlo ad judicandum.

III. Omnino ergo futurum est judicium post hanc vitam universale, tam mortuorum, quam eorum, quos dies extremus vivos deprehendet.

IV. Antecedet resuscitatio omnium mortuorum per Christum certo futura, tam piorum, quam impiorum.

V. Piis atque electis Christus dabit vitam aeternam & perpetua gaudia.

VI. Impii

VI. Impii homines ac diaboli condemnabuntur, ut sine fine crucientur.

VII. Damnandi sunt Anabaptistæ, omnesque illi, qui sentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum esse.

VIII. Frustra Peterfenius in Libro: *Die ganze Oeconomie der Liebe Gottes in Christo*/ p. 365. - 369. aliique, restitutionem diaboli & impiorum adversus hæc A. C. verba asserturi, confugiunt ad Textum germ. ubi *æternarum* pœnarum fit mentio, quasi *æternitas* hæc non obstet fini cruciatuum infernalium, solusque textus germanicus sit authenticus. Uterque, & germanicus & latinus, à Statibus Protestantibus nominum subscriptione adjectisque sigillis est confirmatus, symbolique ac publicæ confessionis loco Cæsari oblati, quamvis ille tantum publicè fuerit recitatus. Utriusque ergo eadem est auctoritas. Et, qualem æternitatem Textus Germ. innuat, scil. absolutam & interminabilem, verbis clarissimis docet Textus Latinus. Vid. WERNSDORFIUS in *Disf. de Fanaticorum restitutione rerum omnium*, p. 69.

IX. Damnantur & Judaicæ opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impiis.

Ex

Ex  
ARTICULO XVIII. AUG. CONFESS.  
DE LIBERO ARBITRIO.

RESP. M. GOTTFR. SAM. SIGISMUNDI, *Forsta-Saxo-Luf.*

OPPON. CHRIST. FRID. LANGE, *Starg. Megap.*

ET

BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano-Pomer.*

I.

**P**er liberum arbitrium non intelliguntur ipsæ animæ facultates, intellectus & voluntas, quas etiam post lapsum homo retinuit: Sed intelliguntur intellectus & voluntatis vires, percipiendo, judicando, appetendo, amplectendo & averfando, sese exerentes.

II. Humana voluntas etiam post lapsum per vires naturales habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subiectas, quas verbis, ex Augustino adductis, expositas vide.

III. Sic quoque viribus naturalibus homo locomotivam potentiam, s. externa membra, regere, evangelium audire, & aliquo modo meditari, atque etiam de eo differere potest, ut in Phariseis & hypocritis est videre. *Form. Conc. p. 662.*

K

IV. Sed

IV. Sed non habet post lapsum vires naturales, sine Spiritu S. efficiendi iustitiam Dei, s. iustitiam spiritualem, [h. e. Deum vere timere, vere credere, connatamque pravam concupiscentiam penitus extirpare, ut *Textus Germ.* habet] quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

V. Homo irrogenitus & impius evangelium de Christo, quod audit, quod aliquo modo meditatur, & de quo etiam differit, tacitis cogitationibus ut rem stultam spernit, nec credere potest. Et hac in parte deterior est trunco, quia voluntati divinæ rebellis est & inimicus; nisi Spiritus S. in ipso sit efficax, & fidem aliasque Deo probatas virtutes atque obedientiam in ipso accendat & operetur. *Form. Conc. p. 662.*

VI. Homo ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptus est, ut in rebus spiritualibus, quæ ad conversionem & salutem nostram spectant, naturâ cæcus sit, & verbum Dei prædicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud ut rem stultam iudicet, & nunquam à se ipso ad Deum appropinquet, sed potius inimicus Dei sit & maneat, donec virtute Spiritus S. per verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione convertatur, fide donetur, regeneretur & renovetur. *Form. Conc. p. 656.*

VII. Ju-



VII. *Justitia spiritualis fit in cordibus, cum per verbum Spiritus S. concipitur.*

VIII. Libri 3. hypognofticā, Augustino h. l. attributi, non sunt Augustini: allegantur tamen sub eo nomine, sub quo prostant, *To. X. Opp. Augustini ed. Paris. 1690. in Append. p. 14.* Caterum, hic repetenda sunt, quæ ad art. VI. th. 17. pro excusanda Aug. Conf. diximus.

IX. Datur in homine irrogenito per naturam liberum arbitrium circa mala facienda, ut: velle idolum colere, velle homicidium.

X. Damnandi sunt Pelagiani aliique, docentes, quod sine Spiritu S. solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere. Item, præcepta Dei facere quoad substantiam actuum.

XI. Per substantiam actuum h. l. intelligitur ipsa formæ, inesse debitæ, qualitas, seu propria & essentialis ratio specifica actuum, lege morali præceptorum, ut explicat CARPZOVIVS ad h. l. Non ergo dissentiant GERHARDUS & MUSÆUS, docentes, homines irrogenitos viribus naturalibus efficere posse opera quædam, quæ quoad substantiam actus non sint mala, sed bona & legi conformia, ut thesi sequente exponitur. Vid. *Jenensium ausführliche Erklärung/ pag. 301.*

XII. Quamvis externa opera aliquo modo efficere

cere natura possit: [Potest enim continere manus à furto, à cæde] tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam, &c.

EX

ARTICULO XIX. AUG. CONFESS.  
DE CAUSA PECCATI.

I.

**D**eus creavit naturam, eandemque conservat.  
II. Nulla tamen ratione est causa peccati.

III. Causa peccati tantum est voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum.

IV. Voluntas diaboli ac impiorum proprio motu, non adjuvante Deo, [als bald/so Gott die Hand abgethan/ ut Textus Germ. habet] avertit se à Deo.

V. Quando diabolus mendacium loquitur, ex se ipso loquitur. Joh. VIII.

VI. Quando Deus ad efficiendas actiones moraliter malas concurrere, inque iis cooperari dicitur, intelligendum hoc unice est de motu physico, non de *arazia*, actioni inhærente.

Ex

Ex  
ARTICULO XX. AUG. CONFESS.  
DE FIDE ET BONIS OPE-  
RIBUS.

RESP. HENR. FRID. DUNCKER, *Sralsund. Pomer.*

OPPON. GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Grypbisw. Pomer.*

ET  
JO. JAC. TETZLOF, *Grypbisw. Pomer.*

I.

**F**also accusantur nostri, quod bona opera pro-  
hibeant.

II. In scriptis Lutheranorum utiliter docetur  
de omnibus vitæ generibus & officiis, quæ genera  
vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant.

III. Illud vitæ genus illaque officia Deo placent,  
quibus Dei gloria veraque hominum salus, qua a-  
nimam, qua corpus, promovetur. Displicent con-  
tra, quæ his finibus sunt adversa.

IV. Illa opera Deo placent, quæ ope Spiritus S.  
â regentis secundum legem & cujusque vocatio-  
nem fiunt ex fide ad gloriam Dei nostramque &  
proximi salutem.

V. Placent tamen unice propter Christum redemptorem, in quo solo regeniti Deo sunt accepti. Ephes. I. 6. Non propter propriam absolutamque perfectionem, quæ in regenitis eorumque operibus non datur.

VI. Necessaria fuit ecclesiæ reformatio, quia olim concionatores de vere bonis operibus parum docebant, tantum puerilia & non necessaria opera urgentes, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, monachatum & similia.

VII. Ex reformatione Lutheri ad ipsam ecclesiam Pontificiam egregii redundarunt fructus. Admoniti enim adversarii, inutilia opera [comparate loquendo. Hanc enim A. C. mentem esse, docet Textus Germ.] dedidicerunt, nec perinde hæc prædicant, ut olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Conf. B. J. F. MAYERI *Disf. Ecclesia Papæa Lutherana reformationis patrona & cliens.*

VIII. Doctrina Pontificior, de justificatione per fidem & opera tolerabilior est priore, & plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina, qua, exclusa fide, opera tantum urgebantur.

IX. Nec tamen hæc doctrina probari potest, utpote Scripturæ adversa, quæ à negotio & causis justifi-

justificationis opera quæcunque simpliciter excludit, solam ex parte hominis requirens fidem.

X. Præterea & doctrina Pontificiorum de fide, quæ tantum sit assensus, non simul fiducia in meritum Christi, impia est & Scripturæ contraria.

XI. Sinceram de fide doctrinam oportet esse præcipuam in ecclesia. Nec tamen legis doctrina excludenda.

XII. Opera nostra non possunt reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum & gratiam & justificationem.

XIII. Gratiam Dei & justificationem tantum fide consequimur. Eph. II. 8.

XIV. Hæc est fides justificans, qua credimus, quod propter Christum recipiamur in gratiam.

XV. Solus enim Christus positus est mediator & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater.

XVI. Qui confidit, operibus se mereri gratiam, is adspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, contra Joh. XIV. 6.

XVII. Lutherani, justificationem soli fidei, exclusis operibus, tribuentes, ea docent, quæ ubique in Paulo tractantur, Eph. II. 8. 9. consentientibus AUGUSTINO atque AMBROSIO.

XVIII. AUGUSTINUM in Libro *de Spiritu & Litera*  
(quem

(quem *Textus Germ.* adducit) nobiscum hac in re consentire, docent REISERUS, Jo. GERHARDUS, CARPZOVIVS, SONNTAGIVS, WALLISERUS, SEB. SCHMIDIUS. Frustra ergo olim Pomerani hodieque nonnulli Aug. Conf. AUGUSTINI consensum allegantem, ex hoc capite erroris accusarunt. Vid. *Fascic. II. Scriptor. Pomer.* p. 120. 121.

XIX. Libri *de Vocatione gentium*, h. l. AMBROSIO adscripti, extant quidem *To. II. Opp.* AMBROSII *Mediolan.* non vero eundem habent autorem. Cæterum, confer. quæ ex art. VI. th. 17. pro vindicanda Confessione nostra scripsimus, hic quoque valitura.

XX. Quanquam doctrina de justificatione per solam fidem absque operibus contemnitur ab imperitis: (Text. Germ. habet: *Bey unversuchten Leuten* / intelligens homines spirituali experientia destitutos) tamen experiuntur piæ ac pavidæ conscientia, plurimum eam consolationis adferre.

XXI. Conscientia non possunt reddi tranquilla per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. Rom. V. 1.

XXII. Tota doctrina de justificatione propter Christum, per fidem, ad illud certamen perterrefactæ conscientia referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest.

Ex

EX EODEM

ARTICULO XX. AUG. CONFESS.  
**DE FIDE ET BONIS OPE-  
RIBUS.**

RESP. NIC. BERNH. AMBDERS, *Tundera - Holsatus.*  
OPPON. BERNH. JOACH. MEINCKE, *Lassano - Pomer.*

<sup>ET</sup>  
JUL. HEINR. CHEMNITIUS, *Hamburgensis.*

XXIII. Male judicant de ea re homines imperiti & prophani, qui Christianam justitiam nihil esse somniant, nisi civilem & philosophicam justitiam.

XXIV. Doctrina de merito operum & justificatione, per opera quærenda, neglecta concione evangelii, est vexatio conscientiarum.

XXV. Falsitas hujus doctrinæ ex ejus fructibus miserrimis elucet, fuga in desertum & monasteria, spe, gratiam promerendi per vitam monasticam, pluribusque traditionibus humanis aliis, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis excogitatis.

XXVI. Necessaria fuit reformatio ecclesiæ, ut  
L hæc

hæc doctrina de fide in Christum restitueretur ac renovaretur, ne deesset consolatio pavidis conscientii, sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam & remissionem peccatorum & justificationem.

XXVII. Ergo organum ac medium ex parte hominis, quo gratia Dei nobis applicatur, unice est fides in Christum, gratiam apprehendens.

XXVIII. Fides justificans non significat tantum historiæ notitiam, qualis est in impiis & diabolo, sed significat fidem, quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet, hunc articulum, *remissionem peccatorum*, quod per Christum habeamus gratiam, justitiam & remissionem peccatorum.

XXIX. Qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is *vere* novit Deum, & scit, se ei curæ esse.

XXX. Qui vere novit Deum, [Is autem vere novit, qui scit, se per Christum habere propitium Patrem] & scit, se ei curæ esse, idem etiam invocat Deum, nec est sine Deo, sicut gentes.

XXXI. Diaboli & impii non possunt hunc articulum credere, *remissionem peccatorum*. Ideo Deum



um tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant.

XXXII. Qui non possunt hunc articulum credere, remissionem peccatorum, illi nec sciunt, se per Christum habere propitium Patrem, nec vere norunt Deum, nec sciunt, se ei curæ esse. Atqui diaboli & impii &c. Ergo.

XXXIII. In scripturis nomen fidei [justificantis] accipitur non pro notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

XXXIV. Augustana Confessio discrimen facit inter *notitiam historię*, & *vere nosse* Deum, & hoc de ipsa fide in Christum exponit. Illam concedit diabolo & impiis. Hoc credentibus tribuit.

XXXV. Necessè est bona opera facere, non, ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei.

XXXVI. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia.

XXXVII. Per fidem accipitur Spiritus S.

XXXVIII. Hinc porro renovantur corda, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint.

XXXIX. Fides bonæ voluntatis & justæ actionis genitrix est.

XL. Humanæ vires sine Spiritu S. plenæ sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quam, ut bona opera possint efficere coram Deo.

XLI. Adhæc sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera.

XLII. Philosophi gentilium, honeste vivere conati, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus.

XLIII. Doctrina de justificatione per solam fidem non est accusanda, quod prohibeat bona opera.

XLIV. Multo magis laudanda est, quod ostendat, quomodo bona opera facere possimus.

XLV. Sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere.

XLVI. Sine fide homo non invocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia.

XLVII. Sine fide regnant in corde omnes cupiditates & humana consilia.

XLVIII. Sine Christo nihil spiritualiter boni homo efficere potest. Joh. XV. 5.

Ex

Ex  
ARTICULO XXI. AUG. CONFESS.  
DE CULTU SANCTORUM.

RESP. JO. JAC. TETZLOF, *Gryphisw. Pomer.*

OPPON. HENR. FRID. DUNCKER, *Seralf. Pomer.*

ET

GEORG. WILH. OVERKAMPF, *Gryphisw. Pomer.*

I.

**N**on omnis Sanctorum cultus improbatur, sed  
religiosus.

II. Coluntur sancti, quando memoria illorum  
proponitur, ut imitemur eorum fidem & bona o-  
pera, quilibet juxta vocationem suam.

III. Cæsar imitari potest exemplum Davidis in  
bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam  
uterque rex est.

IV. Scriptura non docet invocare sanctos, seu  
petere auxilium à sanctis.

V. Invocatio sanctorum pugnat cum Scriptu-  
ra, quæ unum nobis Christum proponit mediato-  
rem, propitiatorium, Pontificem & intercessorem.

L 3

VI. Sancti

VI. Sancti non sunt omniscii, nec omnipræsentes, nec omnipotentes. Quibus tamen proprietatibus gaudere debet is, cujus intercessionem & opem etiam cordis suspiriis in quacunque necessitate implo-  
ramus. Ergo invocatio sanctorum est inutilis.

VII. Contra, Christus invocandus est, quia promisit, se preces nostras exauditurum esse.

VIII. Hunc cultum Christi maxime probat Scriptura, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1. Joh. II. I.

Ex

EPILOGO.

I.

**A**ugustana Confessio *ferè* est summa doctrinæ nostræ. Ergo & alia docere licet, in Scriptura fundata, licet in ipsa Confessione expresse non sint memorata. Vid. *Memoria A. C.* p. 209.

II. In summa doctrinæ nostræ nihil inest, quod discrepet à Scripturis. Qua cum potius omnia amicissime conspirant.

III. Utilis quoque est ad veram piamque institutio-

tutionem & consolationem conscientiarum, nec non ad ædificationem fidelium. *Text. Germ.*

IV. Falsi doctores se ipsos propriamque conscientiam abusu nominis ac verbi divini summo exponunt periculo. *Ibid.*

V. Veri doctoris officium est, eam doctrinam ad posteros propagare, quæ incorrupto verbo Dei veritatisque Christianæ conformis est. *Ibid.*

VI. Doctrina A. C. non discrepat à vera ecclesia catholica, quæ tamen Romano-Papæa non est. Vid. autores, à C. M. PFAFFIO collecti in *Præfat. Tractatui Parentis de Dogmatibus Protestantium, ex Jure Canon. & Concil. deductis*, præmissa.

VII. Nec discrepat ab ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus (Patribus ecclesiæ Latinæ, ut *Textus Germ.* habet, e. gr. AUGUSTINO, AMBROSIO &c. in ipsa A. C. adductis. Quo ipso removentur traditiones & curia Romana, h. e. Pontifices ejusque Cardinales) nota est.

VIII. Inclementer judicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant fugiendis excindendisque. Quod tamen sine ullo sit Sacræ Scripturæ fundamento.

9.) Evan-

IX. Evangelici non dissentiunt ab ecclesia Catholica, nec ab ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota, & tempore exhibitæ Confessionis quasdam veritatis particulas adhuc incorruptas tenebat: Sed dissentiunt ab ecclesia Romana corrupta, circa quosdam abusus, traditiones ac corruptelas, (tam doctrinales, quam practicas) quæ sine certa auctoritate in ecclesias, Romano Pontifici subjectas, irrepsērunt.

X. In articulis fundamentalibus (nostræ ecclesiæ) nihil occurrit, quod jure reprehendi possit. *Text. Germ. In den Haupt-Artickeln ist kein befindlicher Ungrund und Mangel.*

XI. Confessione doctrinæ integra ac sincera existente, illos, qui circa ritus dissentiunt, tolerare decet episcopum.

XII. Apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter servantur.

XIII. Abusus, in vulgaribus ritibus hærentes, qui bona conscientia probari nequeunt, corrigendi sunt.

XIV. Necessaria utique fuit, svadentibus ac urgentibus rationibus firmissimis, quarundam traditionum ac corruptelarum abrogatio.


FINIS.

ced 17

99 A 6960

2/10









a. 19 27

THESES THEOLOGICÆ,  
AD DUCTUM  
ARTICULORUM XXI. DOCTRINALIUM  
**AUGUSTANÆ**  
CONFESSIONIS,

SUB PRÆSIDIO  
**JAC. HENR. BALTHASARIS,**  
S. THEOL. D. ET PROF. ORD. CONSIST. REGII  
ASSESS. ET AD D. JAC. PASTORIS.

ANNO MDCCXXV.  
Singulis Mercurii, vel Sabbathi diebus,  
IN ACADEMIA GRYPHICA

à  
Quibusdam S. Theologiæ Studiosis,  
*quorum nomina sequens pagina exhibet,*  
Septimestri privatoque exercitio disputatorio  
ventilatæ.



GRYPHISWALDIÆ,  
Typis Caroli Höpfneri, Reg. Acad. Typogr.

ANNO MDCCXXV.